

cul dubio libera fuit a doloribus, et a pena. Quia de causa, charissimæ, exsultate in Domino et congaude, quia tantæ gratiæ comparticipes factæ estis; congratulamini, quia non solum castitatem, verum et virginitatem integrum illibatamque spenso vestro Deo religiose satis admodum vovistis. Unde quia tali ac tanto sposo, d lectissimæ, dicatur estis, servate immaculatum connubium vestrum, et dotalia jura, quæ non nisi fide integra et operibus servantur. Exorate, queso, pro me, quia dignus non sum vobiscum ante thronum hujus virginis dulcia cantica frequentare dramatis, saltem mihi venia donetur vestris intercedentibus meritis. Deinde, obsecro, agite precibus hoc munus quamvis subulco vobis sermone dictum, virgo beata vestro dignetur obsequio suscipere, quia, ut scitis plenissime, nostris non eget laudibus, quam omnis illa supernorum societas hymnidicis indesinenter celebrant melodiis; B

* Qui emendavimus, quamvis in utroque sit quam, nec dubitamus quoniam ita legendum sit.

A neque jam ulis potest obscurari calumnias, quæ gloriosa super choros angelorum sublimata, veneratur ab omnibus, et dum adorant et collaudant Filium Dei, ipsum eundemque ejus confitentur filium, et recognoscunt non alium esse, a qui coequalis et substantialis Deo Patri creditur et adoretur ab omnibus, quam qui natus est de utero Mariæ virginis. Et ideo, sponsæ Christi, sic respicite ad cunas, et ad præsepium, ut eum semper consedere intelligatis in dextera Patris, non jam vagientem inter crepundia, neque pendente in cruce, sed regnante super omnia, cui data est, ut ipse testatur, omnis potestas in celo et in terra (*Math. xxviii, 18*), cui flectitur omne genu coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus Christus sponsus uester^b in gloria est Patris (*Philipp. ii, 10*). Amen.

* Noster, Feu-ard.

ALIUD FRAGMENTUM

EX LIBELLO DE PARTU VIRGINIS.

Prout est in Editione Feu-ard. et Cod. Ameliano, in quo exordium potius cujusdam sermonis ad populum continet.

Quotiescumque, dilectissimi, vobis aliquid pro amore Creatoris nostri in ejus creatura dignis laudibus praedicatur et extollitur, ad ejus procul dubio laudem referunt, qui auctor creaturarum est, ut de creatura sua factor intelligatur et laudetur; quoniam, iuxta Apostolum, *incisibilita Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicuntur.* (*Rom. i, 20*); sicuti, ut ita dicam, fieri solet in quadam laudabili et mirabili artificio, dum quidquid in eo multis et magis laudibus effertur, totum ad gloriam et laudem manus artificis jure inspicitur. Sed longe incomparabiliter Deus laudandus est in sanctis suis, et in omnibus operibus suis praedicandus. Hinc quoque David: *Laudate Dominum, inquit, in sanctis ejus, laudate cum in firmamento virtutis ejus* (*Psal. cl, 1*). Quod ut digne possit fieri, fides prius adhibenda est, quoniam omnia opera ejus in fide; deinde intelligentia requirenda; alioquin, nisi credideritis, sicut Isaías ait, *non intelligetis* (*Isai. vii, 9*). Intelligibilia autem Dei per ea, ut dictum est, creaturarum quæ facta sunt et sunt in sanctis ejus, digne in fide cum pie-

tate devotionis considerata intelliguntur, intellecta vero ad plenum vere laudantur (*Rom. i, 20*). Quæ nimurum laus in conspectu Dei et angelorum ejus tanto amplius gratificatur, ut acceptior fiat, quanto in eisdem sanctis et veris operibus Deus sapienter fide creditur, et intellectu pie videtur. Hinc quoque David valde gratulabundus, tertio repetendo exhortatur dicens: *Psallite Deo nostro, inquit, psallite regi nostro, psallite* (*Psal. xlvi, 7*); Patri videlicet ac Filio; et ut Deus Trinitas commendetur una cum Spiritu sancto, *psallite, inquit, sapienter* (*Ibid., 8*). De quibus profecto quisque non recte intelligit aut credit, non dico sapienter, verum nec utiliter, sed in vanum psallere videatur. Ideo, dilectissimi, adhibete diligentiam in omnium sanctorum festivitatibus, maxime vero in hac celebritate genitricis Dei, ut bene intelligendo ac recte vivendo, in ejus laudibus digne assistere, et sapienter Deo psallere possitis; quoniam quidquid genitrici ejus officiosissime impenditur, illi nimurum impeditur, cui jure patet omne clausum....

S. HILDEFONSI SERMONES DUBII.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Noli mirari, lector optime, quod sequentes sermones operibus dubiis et incertis sancti Hildefonsi a nobis accenseri videoas, quos tamen audis a viris non indoctis tanquam suos frequentissime laudatos, et quasi Hildefonsinos communis opinione receptos. Facimus etenim nec temere, nec sine aliorum virorum magna doctrina laude præstantium suffragii, sine quibus nunquam ausi fuissimus judicium de illis adeo aperte pronuntiare. Neque enim ignoramus quantæ invidiae res plena sit, opiniones vetustate quotidiammodo consecrata, atque hominum animis altis radicibus infixas evellendas suspicere; quamque difficile in operibus sanctorum Patrum paulo accuratius examinandi atque dijudicandi occupatum, intemperioris criticæ notam effugere. Itaque quod dicimus, rem esse valde incertam, utrum sermones isti revera sint sancti Hildefonsi, non nisi post seriam meditationem, longunque examen illorum institutum, post multas eorum inter se, tum cum aliis operibus sancti Doctoris collatis factas, facem semper nobis præferentibus viris omni doctrina et eruditio præstantibus, denique non nisi gravibus rationibus adducti, pronuntiamus. Quæ omnia paulo susius exponere opera pretium erit.

De sancti Hildefonsi sermonibus nihil amplius a posteriorum temporum memoriam pervenerat præter historicorum testimonium, a quibus commemorantur nonnulli sermones ab ipso conscripti, et cum ceteris operibus suis in lucem cmissi; neque postrema secula ullum illorum Exemplar viderant, donec seculo decimo sexto omnium primus Franciscus Feu-ardentius, nobilis theologus Parisiensis e fratre. Minorum

familia, ex antiquo Codice ms. (quem a Gotiscaleo inter Aquitanos episcopo ex Hispaniis asportatum seribit) una cum libro de Virginitate perpetua sanctae Mariæ, et altero libello de Parturitione superiorius excusso, sermones duodecim sub nomine sancti doctoris evulgavit. Scilicet deceptus fuit vir alioquin oculatissimus, quod sermones tali nomine inscriptos forsitan reperisset, neque illud a vero abhorret, quando sanctum Hildefonsum sermones scripsisse constaret. Inventum vulgatumque thesaurum: omnes communi acclamatione suscipere, probare, laudare; Hildefonsi sententias unusquisque producere, ornare, amplificare; nemo de eis vel leviter dubitare, vel ad illorum examen animum adjicere. Qua ex re non multo post communis apud omnes literatos opinio percrebuit sermones istos germanos esse Hildefonsi fetus.

Post haec vero accidit, ut ex doctoribus aliqui illorum lectioni serio incumbentes, nonnulla in eis prima fronte suo iudicio minus probata offenserint, quorum occasione de illis ad novum examen revocandis, legitimoque illorum parente diligentius investigando cogitarunt. Hos inter primus nobis occurrit P. Joannes Poza, qui in suo Elucidario beatæ Mariæ virginis ad illustrandum argumentum de illibata Deiparae conceptione, testimonia ex Hildefonso nostro adducta expendere aggressus, eo fine ut incerta et spuria a certis legitimisque secerneret, multa sibi visus est in hisce sermonibus reperisse, cum ab Hildefonsi more et stylo, tam ab eius doctrina pietateque omnino aliena, quæ non essent temere, nec sine gravissimis probationibus (que nullæ erant) tanto doctori imputanda.

Pozæ iudicio Theophilus Raynaudus re de novo explorata acqueivit. Amborumque sententiae, qui eos secutas est D. Nicolaus Antonius, in Bibliotheca antiqua Hispanie libenter suffragatus est, postquam Pozæ censuram totidem verbis retulisset. Deinde P. Remigius de Ceillier in opere Gallice edito de Scriptoribus Ecclesiasticis, nullo pacto ait sibi persuaderi posse praedictos sermones esse sancti Hildefonsi.

Ergo ex dupli capite, si istos doctores audimus, oportet sermones praefatos sancto Hildefonso adjudicare: nempe ex doctrina in eis contenta, et ex proprio uniuscujusque stylo. Verum, ut ingenue loquamur, Pozæ censuram in his quæ doctrinam spectant minime probare possumus; neque enim (nisi omnino cœcutimus) videmos quid sit quod erroris merito insinulari queat. Tria siquidem sunt que fidei absone plisque auri: bus minime ferenda ceaset perdoctus vir: primam, quod sermone 5, de Assumptione, dicitur non debere indubitanter affirmari beatam Virginem fuisse cum corpore in celum assumptam (quanquam pius sit ita credere), ne incerta pro certis recipientur. Alterum, quod sermone precedenti pia quadam temeritate asserere audet festum Assumptionis aliquod remedium et refrigerium afferre clausis infernalibus, adeo ut in eo die ministri Tartarei non audeant pertingere suos captivos quos recolunt redemptos sanguine filii tantæ Virginis. Tertium denique, quod in homilia de Purificatione asseverat corpus Christi Domini fuisse quadraginta dierum numero formatum in utero Virginis. Haec totius censure summa, cujus singula capita facile diluvuntur.

Nam quod de assumptione corporis virginis dubitanter scribit auctor, illud ex sermone Assumptionis deceptum est, qui ab eo laudatur sub nomine sancti Hieronymi, cuius certe non est, sed vel Sophronii auctoris Graeci Hieronymo supparis, ut placet aliquibus, vel, ut volunt alii, auctoris multo recentioris, sed illorum priorum seculorum, qui potuit illud assercere sine ulla offensione: nempe pie ab aliquibus tunc temporis credi beatam Virginem fuisse in corpore assumptam in celum, verum indubitanter tanquam certum non posse affirmari, in quo certe errorem nullum animadvertisimus. Neque si quis Hildefonsi saeculo idem prouniasset, facile esset erroris arguendus, quando non in omnibus Ecclesiis, neque ab omnibus doctoribus ita certo tenebatur, sed tantum in aliquibus; quemadmodum colligitur ex sermone secundo de Assumptione falso Augustino attributo, cuius auctor post sanctum Isidorum, quem laudat, scribebat. Quod tamen, postquam ab universa Ecclesia recipuum est, atque omnes sacri doctores in ea veritate consentiunt, si quis inficiari, vel de eo dubitare auderet, temeritatis notara non effugeret.

Nec validius est quod secundo loco opponebatur de refrigerio et levamine per Virginem allato claustris infernalibus in anniversario die sue assumptionis. Quis enim miretur illorum temporan doctorum hujusmodi piz temeritati, ut ipse vocat, lubenter induluisse in beatæ Virginis gloriam, qui sciat sanctum Augustinum (*Enchir. c. 112*) quorundam sententiam improbare ausum non fuisse, qui existimarent damnatorum poenas certis temporum intervallis aliquatenus mitigari, ita ut in ira sua non contineat Deus miserationes suas; non zeterno supplicio finem dando, sed levamine adhibendo, vel interponendo cruciatibus? Deinde unde evincit potest hoc loco auctorem fuisse locutum de hominibus in eternum damnatis in infernum ob gravia peccata, et non potius de animabus sanctis, quæ in Purgatorio torquentur? At vero his et damnatorum captivorumque noinina convenient, atque a ministris Tartareis in claustris infernalibus torqueri nemio ambigit.

Denique quod ultimo loco objicitur de formatione corporis Dominici quadraginta dierum circulo peracta in utero Virginis, si quam habet difficultatem (ut certe habet), non aliam vero quam quæ in verbis Augustini reperitur, in lib. lxxxiij Quæst., q. 56, unde hic locus videtur fuisse desumptus ab illius homiliæ scriptore. Verum cum Augustini verba nullus sit theologus, post Magistrum Sententiarum, qui non ea sano sensu exposuerit, ex illorum commentariis potest huic loco soluto accommodari. Hisce igitur de doctrina criminatioibus dilutis, reliquas animadversiones exponamus, quibus evincitur istos sermones minime censendos esse exploratos Hildefonsi fetus.

Et primo quidem id quod omnium maxime Feu-ardentio persuasit hosce sermones esse Hildefonsi, scilicet quod in illo suo Codice ms. satis vetusto una cum aliis operibus ejusdem sancti doctoris reperisset eos, quemadmodum tanti viri errorem elevat, ita quam levis momenti fuerit, postea manifeste apparuit. Erat enim etiam in illo Codice immediate post libellum Hildefonsi de perpetua deiparae virginitate ille alius tractatus de Parturitione proxime a nobis editus, quem, ut premonimus, nemo non Hildefonsi ait judicat. Quoniam licet sub ejus nomine reperitur, longa tamen experientia compertum est fuisse in more apud antiquos ante artis typographica adiunctionem, ut variorum doctorum lucubratione ad idem præsertim argumenti genus spectantes in eumdem Codicem congererent, nulla sepissime auctorum diversitate notata; quæ res immixta est quod errores circa genuina uniuscujusque opera pepererit. Abundant undique exempla, quorum nos, ut alia omittamus, simile deprehendimus in ipso Codice nostro Ameliano jam saepius laudato in horum opusculorum Editione. Est enim fere totus expressus ad normam Codicis quo Feu-ardentius usus est: idem in utroque tractatus, eodemque ordine dispositi, nisi quod noster correctior est, atque uno sermone auctior, qui inscribitur De sancta Maria. At vero post haec omnia animadvertisimus aliquot folia membranacea absissa, in quibus abs dubio alius tractatus continebatur de laudibus beatæ Virginis, cuius locupletissimus index adhuc remanet ad calcem ipsius Codicis, eadem qua cætera manu exaratus. At vero prædictus libellus non est propterera Hildefonsi censendus, sed vel Anselmi, alius qui de beatæ Mariæ laudibus scripsit.

Huic animadversioni multum ponderis adjiciunt, quæ a viris doctis observata sunt circa horum stylum.

Quanquam enim nullus sit certus et exploratus Hildefonsi sermo, quocum istos contulerint, quantum tamen ex ceteris operibus conjicere potuerunt, nihil minus in eis vident quam Hildefonsum. Siquidem propria illa scribendi ratio conformatioque Latini sermonis, quae Patrum Gothorum quasi charactere exprimit, nusquam appareat. Unum certe cuilibet paulo attentius illos perlegenti exploratum erit, non uno, nec duplice, sed multiplici style esse conscriptos, quod plures prodit auctores. Siquidem primus, et quartus, qui primi quasi compendium est, unius auctoris esse perhibeatur; tertius, quintus et sextus, alium sapiunt auctorem; septimus et octavus omnino a praecedentibus diversi; decimus nulli priorum similis. Alius Scriptarum testimonis totus intextus est; alii Patrum et doctorum citationibus abundant. In quo illud est omni animadversione dignum, quod cum in eis aliquando laudeatur Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Sedulus poeta, unius Gregorii Magni nomen nusquam personal, Gregorii, inquam, illius, qui nostris Patribus Gothis solus ipse instar omnium erat, cuius unius doctrina maxime delectabantur, cuius sententias semper in ore habebant, quibusque solebant omnem orationem conspergere, ut videre est cum in Isidori operibus, tum in ipsius Hildefonsi libris de Annotatione baptismi, et de Progressu spiritualis deserti; quamvis in libro de Virginitate perpetua sanctæ Marie nullam ejus mentionem fecerit, quemalmodum nec alterius doctoris, testimonii Scripturarum urgendi, prout res postulabat, unice intentus.

Ex quibus omnibus non temere colligi posse videtur ex primis undeem sermonibus nullum esse qui certa aliqua ratione Hildefonso nostro ascribendus sit. Neque de tribus postremis, quos adjicimus, est magis explorata sententia. Namque prioris, qui de sancta Maria inscribitur, nullum aliud est argumentum, quam quod unus Codex Amelianus inter ceteros illum exhibet. Duo reliqui suam veritatem P. Floreio persuaserunt, quoniam postquam ab editoribus sancti Augustini, qui parens eorum credebatur, rejecti sunt tanquam apuri, reperti fuere in Codice suo ms. seculi XIII, post libellum de Virginitate sancte Marie, sub nomine sancti Hildefonsi. Quod argumentum quantum per se valeat, vidimus, nisi solidior ex stylo et materia conjectura capiatur, quam quidem nos eruditorum arbitrio relinquimus, qui illis perfectis judicabant quamnam habeant hi sermones cum genuino sancti doctoris stylo, atque etiam cum praecedentibus sermonibus similitudinem. Nos hercules rem in medio relinquimus, atque ad illorum accuratiorem Editionem procedimus.

SERMO PRIMUS.

DE ASSUMPTIONE BEATISSIME ET GLORIOSÆ VIRGINIS MARIE.

Hodie, dilectissimi fratres, natalitia beatæ Marie celebramus; ^a et jam sinceris vestris meritis ac precibus adjuvemur, quatenus ipsa intervenire dignetur, ut et ego vos solemniter exhortari queam ad profectum salutis vestrae, vosque devote percipere valeatis, ut simul nos omnes in ejus laudibus digni inveniamur. Non enim ab omnipotente Deo tam effectus tantarum rerum quam voluntas requiritur. Et ideo, ut credo, pro bona voluntate, dilectissimi, præstabilit vires loquendi, quas imperitia denegat, qui et vobis plenissime gratiam intelligendi dedit, quoniam leti ad ejus festivitatem devotique celebrandam occurrimus, ante cuius torum olim multitudo cœlestis exercitus decantavit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis* (Luc. II, 14). Quapropter sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adjutorium in proventu, ut et competenter intelligere possimus quam laudamus, et laudare religiose Virginem, cujus hodie solemnia colimus. Ante cuius torum profecto quo puer reclinatur in stabulo, invitant nos, ut dixi, angeli canentes: *Gloria in excelsis Deo, ut insinuant vocibus quod idem qui natus est in carne, Deus et homo est. Et quia Deus est, gloria in excelsis, ubi peccatum non est, sed perpetua laus amplior prædicatur; quod autem idem homo, in terris, ubi seditio et bella sunt indesinenter, propter reconciliationem Mediatoris pax hominibus bona voluntatis nuntiatur, ac sic unus idemque Christus utrumque completitur.* Et ideo sursum in celis non minuitur gloria superiorum civium, sed augetur; nec deorsum in terris propter discordias frustratur pax hominibus bona voluntatis, sed præstatur. Propter quod ad hujus cunas infantiae, quas angeli frequentant, invitat nos sanctorum prophetarum chorus, imo et sapientia Dei Patris invitat nos, et Spiritus sanctus: *Ante torum, inquit, hujus Virginis frequente nobis dulcia cantica dramatis. Dramaton eniin, charissimæ, genus est carminis, quo genere Cantica Canticorum edita leguntur. En jubemur, ut charitas amplior commendetur, eo genere canendi dulcia cantica in hujus*

^a *Et jam sinceris vestris meritis, lectio Co.l. Amel., magis ferenda quam Feu-ard.: etiam et in celis vestris meritis, etc.*

^b *Salagite, Amel. Cod.*

^c *Decantare, idem.*

A honore Virginis freqüentare, ubi interdum angeli canentes celebrant laudes, archangelus Gabriel evangeliat, stella occurrens resulget, magi veniunt et adorant, munera deferunt, suisque munieribus prophetant: pastores aujunt et loquuntur; veniunt, vident, et intelligunt Verbum incarnatum, quod Dominus ostendit eis.

Idcirco, dilectissime, ubi talia et tanta ostenduntur, ^b surgite cum hymnis et canticis spiritualibus psallentes in cordibus vestris Domino, et cum angelis ^c decantate dicentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis* (Luc. II, 14). Quoniam haec est mater Domini, ^d per quem vita redonatur. Haec est virgo secunda, multis prophetarum indiciis predicata. Haec est quæ hodierna die, completi omnibus, cœlo assumitur, exiuit carne, cœlesti gloria vestitur. Haec ex genere Abrahæ orta virgo, in cuius semine benedicuntur omnes gentes de tribu Juda. Unde dictum est: *Non deficit prius caps de Iuda, donec veniat qui mittendus est, et ipsa erit exspectatio gentium* (Gen. XLIX, 10). Ipsa est virga de radice Jesse, de cuius nimirum rursus radice flos ascendit Christus (Isai. XI). Ipsa est Virgo clarissima, stirpe David progita, cui Deus Pater olim in spiritu: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Psal. XXXI, 11). Ecce ad quam concurrunt, o filii, omnia eloquia prophetarum, ad quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum, de qua natus est Christus, Deus et homo, pridem in terris, ut ipsa hodie assumpta de corpore renascatur in cœlis. Unde et filia Jerusalem esse jure canitur, licet natus sit ex ea qui eam oili fundavit Altissimus (Psal. LXXXVI). Quæ revera mater illa cœlestis hodie adventi obviam ornata monilibus suis, de qua dicitur: *Vidi Jerusalem descendente de cœlo a Deo ornata in auro mundo, et lapidibus pretiosis intextam.* ^e Quæ profecto hodie decorata ideo descendit, ut reginam mundi, beatam scilicet Mariam, secum eveheret ad sublimia, et collocaret in throno regni; alioquin offiosissime pretesta non occurret, nisi festivitas magna esset.

Propterea, o filii, seu quicunque pueri et pueræ, senes cum junioribus, omnes vos moribus festivos preparate in festivitate tantæ Virginis. Producite

^d *Per quam, Amel.*

^e *Auro mundo, ex Amel. Cod. A viro mundo Feu-ard.*

^f *Quo Feu-ard.*

choros lætitiae spiritualis, a quatenus docere possitis cantica que auditis, vel quæ canitis. Alias autem, quia non est speciosa laus in ore peccatoris, ad hæc festa, donec vos virtutis exuat, non congruit. Ipsi igitur stella maris, quam hodie cœlum suis recipit, sedibus, appellatur, quia secundum verbum Hebreorum Maria^b ita interpretatur. Hinc agite, dilectissime, ut lucifer ille qui nescit occasum, oriatur in cordibus vestris, dum in hoc seculo estis. Nam mare præsens seculum est, stella autem beata virgo Maria, de qua ortus est ille per quem illuminatur omnis mundus.

Hinc securius accedite ad laudem Virginis, et illuminamini, quoniam ipsa est per quam vera lux in mare hujus seculi resulsi. Ipsi est ancilla Domini, juxta quod ait ipsa post ineffabilia Gabrielis promissa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. 1, 38). Quapropter discite, charissime, humiliari, discite mites esse, quoniam hæc est sola virtus, quam in se Dominum respexit esse præcipue gloriatur, ut et vos ex eadem humilitate gloriari possitis; nam et ipsa regina nostri orbis dicitur. Agite cum ea, ut regnare valeatis, ubi exaltantur humiles, et dejiciuntur superbi; ubi dominantur mites, et servituti rediguntur obnoxii, qui ad præsens elevantur, elati. Ecce jam beatam illam dicunt omnes generationes sacerdorum, quæ se dum tantis insignit virtutibus, ita ut et sponsa jure dicatur, ac mater sui creatoris.

Ante cu[m] us torum, queso, rursus ad exequias non threnos doloris, non lamenta fletus, sed carmina Deo dulcia modulate vocibus, quoniam hodie jam hæc pervenit ad regis thalamum. Pervenit itaque puerpera, ubi angelorum melliflua iadesinenter so[n]ant organa, ubi hinc inde hymnidici sanctorum vicissim cantica nuptiarum alternant chori, ubi epitalmia sponsi et sponsæ suis suavia redduntur melodius. Ad quas itaque nuptias hodie beatæ Dei genitrix cum gaudio introivit, quæ fuit olim conditor templum, Spiritus sancti sacrarium; sacrarium, inquam, Dei, quia omnes thesauri sapientiae et scientiae in ejus utero sunt reconditi (Coloss. II, 3), quo et Verbum caro factum est, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis (*Ibid.*, 9). Sed tamen longe aliter Christus tempulum Verbi, aliter beata Virgo, quia uterus Virginis ac si hospitium fuit, ex quo Christus Deus ad nos, quasi sponsus de thalamo suo, potentia fortis ut gigas, exiit. Porro Christus Deus et homo, unus mediator Dei et hominum fuit (*I Tim.* II, 5): non alter Deus, alter homo, ut tempulum et Verbum duo essent; sed unus idemque Christus Jesus. Qui, dum resolvitur in mortem, Deus in suo homine, cum sit immortalis, propter unitatem & subsistentiam mortuus predicitur; ac per hoc non aliud qui tempulum, aliud qui Verbum, sed Verbum et tempulum unus est Christus. Et quia unus idemque, nec in passione dividi potest secundum substantiam, nec in maiestate.

Sic et Dei genitrix speciosa prædicatur, velut columba, pulchra ut luna, electa ut sol (*Cant.* VI, 9); quia columba illa, quæ super Christum mansit, eam totam repleverat; idcirco ob hanc speciem decoris non immixto formositate virtutum speciosa laudatur. Pulchra ut luna; quinimo pulchrior quam luna, quia in ejus specie genus omnium Ecclesiarum re-

* *Quatenus dicere possint cantica que audistis, vel quæ canitis.* Feu-ard.

^b Vide sanctum Bernardum, hom. 2, super Missus est.

Modulata, Feu-ard.

^d Substantia, Amel. Cod., pro subsistentia.

* *Genus*, est in Amel., pro gens, quod est in Feu-ard.

^f Nos emendavimus claritate, quamvis in utroque et Amel. Cod. et Feu-ard. Editione legeretur aperte charitate. Emendavimus, non tam propter lectionem

A splendet, quæ sole justitiae illustratur, ut caliginem præsentis vite destruere possit, et ad ea pertinere nos omnes faciat, quo beata Virgo peruenit, ubi nullum jam patitur delectum luminis, quia laborum eus et gratiae gloriosus est fructus. Ideo, dilectissimi, imitamini illam, dum vacat et tempus est, quam collaudant omnes sancti et diligunt, quæ hodie processit electa de terris ad cœlum, electa ut sol. Et ecce in perpetuum clarior sole, coronata triumphat ante Dominum. In qua nimurum Virgine olim quasi in sole posuit rex tabernaculum suum (*Psalm. xviii.*, 6), ac processit sponsus ad nos de thalamo suo, rex virtutum, rex gloriae, ut omnes reguent per eum.

O quam pulchra est, admirabilis, casta generatio cum ^c claritate (*Sep. iv.*, 1)! Quod si præclara est in virginibus, et præclara cum præconio bona famæ, multo magis in Dei genitrice Maria, quæ virgo permansit, et secunda mater: cujus sane memoria inclita virtutum apud Deum et homines immortalia regnat. Qua de causa, filii, imitamini illam, et desiderate illam, quæ hodie jam ornata thalamo, sponsa et conjux, mater et virgo, introivit ad nuptias. Introivit itaque integræ signallata signo pudoris, quia et virginitas atque castitas omnis insignitur apud Deum, ut accepta sit et probabilis. Qui autem imitantur illam, erunt ex parte ejus; et beata quæ nescierit torum in delicto, habebit fructum in respectione animalium sanctarum (*Sep. iii.*, 13).

C Unde queso vos, o filii, imitamini signaculum filii vestre, beatam Mariam, quam, velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, et ignivit, ita ut in ea ^d non nisi Spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei. Hæc namque est horbus conclusus ille deliciarum, fons signatus (*Cant.* IV, 12), puteus aquarum viventium, reparatio vitæ, janua coeli, decus mulierum, fastigium omnium virginum, quæ ut cedrus Libani quotidie in terris ^e multiplicatur, dilataturque ramis, et in celo radicibus, ut crescat amplius, solidatur. Exaltatur ut palma, floret velut oliva speciosa in campis, et ^f fructificabit in domo Dei in æternum (*Ecclesiasticus.* xxiv, 17-19). In qua nimurum domo hodie læta introivit, et sequuntur eam omnium electorum animæ, quæ sunt ex parte illius. O! si permetteretur nobis scire quæ illius vita gaudia ad quæ intravit hodie, quæ illa florantis paradisi amœna, quæ illa societas angelorum, quantus famulatus cœlorum, et sanctarum animalium ^g numerus exultans occurrit! quanta illi hodie monstrata sunt secretorum arcana, quam ineffabilia sunt gaudia reserata! Non dico explicare verbis, saltem quis nec digne cogitare poterit quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

Idcirco, filii, perpendite Matrem Domini, quæ quasi vittis fructilicavit suavitatem odoris, et protulit cunctis gentibus fructus honestatis et gratiae (*Ecclesiasticus.* xxv, 23). Floruit ut mater honorificata, ut mater pulchra dilectionis et timoris, ut mater agnitionis Dei et speci, in qua gratia omnis spes vita et virtus (*Ibid.*, 24-26), et quæ sola refulsi virgo sancta inter filias, ac si lily inter spinas. Virgo prudens, virgo pudicissima, virgo pulcherrima, et secunda: corpore decora atque integra, animo fulgida, sive perspicua, vita præclara, amore virginitatis devota,

vulgatam, a qua frequenter recedere videmus, sed magis propter sequentia verba: *Quod si præclara es in virginibus, et præclara cum præconio bona famæ, etc.*

^g Non nisi Spiritus sancti flamma. Ita verba non nisi desiderantur in Feu-ard., sed habet Amel. Cod.

In Feu-ard., multiplicabitur, dilatabiturque, etc.

ⁱ Fructifical, Amel. Fructificabit, Feu-ard.

^j Innumerous edebat Feu-ard.

in omni obedientia virtutum parata, et in ministerio A sibi credito cautissima: cuius animam in passione Christi portransivit gladius, et in cunctis angustiis decoxit servor divini amoris. Ipsa est ergo quæ a prophetis est praedicata, et a philosophis etiam praedicata, ab archangelo salutata, a Spiritu sancto fecunda, et ab eodem obumbrata. Virilis seminis ignara, prole secundata, virgo innupta, in filio glorificata, quæ fide concepit, et cum gaudio peperit. Virgo siquidem ante partum, virgo in partu, et virgo post partum: quem totus itaque non capit orbis, in ejus se clausit viscera Deus factus homo. Qui cœlum et terram adimpler, cui cœlum thronus est, terra autem scabellum pedum ejus (*Isai. lxvi, 1*), qui palmo coelos tenet, et appendit tribus digitis motem terre, ac pugillo concludit (*Isai. xi, 12*), hunc Virgo sancta panis involvit, et in præsepio reclinavit (*Luc. ii, 7*). Ergo qui cuncta pascit coelestia et terrestria, simul et regit, hunc sacratissima Virgo lacte carnis aluit et nutritivit: ad cuius deinde nutrum universa reguntur, sub ejus disciplina vel arbitrio infans Deus versatur; et, quod mirabilis est, defensor omnium et creator quasi prostrus ^b in *Egyptum* fugit (*Matth. ii, 14*). Quid plura? qui cuncta quasi in statera suspensa tenet, cruce suspenditur; super quem beata Virgo multum doluit, multumque perpessa est, et gladio passionis Christi vulnerata in anima teloque transfixa.

O sanctissima omnia seminarum, quæ cum Deo tale tantumque contubernium habuit in terris! Et ecce hodie exaltatur apud eum quem genuit, ut permaneat sine fine gloriosa in coelis. Quæ cum apostolis degens vixit, et quandiu simul fuere, unanimiter in oratione permanxit, conferens cum iisdem, donec omnia completerent mysteria reprobmissionis Christi, et ipsi longe lateque causa prædicationis dispergerentur (*Act. i, 14*). Deinceps vero quam feliciter sub praesidio angelorum et Joannis diligentia fuit! O inclyta Virgo! ecce remoraris in terris, quæ filium tuum Redemptorem nostrum Jesum Christum premittis ad coelos, beatius atque felicior et tu angelis commentibus penetras gloriosa. Secura igitur ac gaudens jam peragis, quia eudem filium tuum Dominum nostrum jam divinitatis gloria ^c consedere ad dexteram Patris non ignoras. Unde quam beatissima et laudabilis diei hujus celebratio recte colitur, in qua Virgo mirabilis cum laudibus colestis militice ^d intra polorum aulam una cum ingenti triumpho excipitur? Ex cuius nimirum carne Dominus Jesus Verbum caro efficitur, qui cunctis in se crodentes januas paradisi aperire dignatus est. Qui matrem secum in throno regni collocavit, et in immortalitatis glorianam eam transposuit, ac super choros angelorum supersolemniter exexit.

Quapropter, dilectissimæ, solemnatem hujus diei dignanter celebrate, de qua exultant angeli, letantur archangeli, de qua gaudet omnis illa coelestis Jerusalem, civitas gloriosa. O! si permetteretur nobis scire quanta jucunditas, vel quanta ineffabilis letitia illic est, vel quanta exsultatio animarum saecularium de visione tantæ claritatis; quantus famulatus beatorum spirituum, quantus numerus angelorum bodie genitrici Verbi Dei gratulabundus occurrit, ad quanta vel qualia gaudia feliciter hodie intravit, quæ profecto nec oculus vidit, nec auris audivit! Sunt enim invisibilita, atque ineffabilia quæ percipit, et, ut jam dictum est, filium suum Dominum Jesum Christum, quem pendente in cruce olim doberat, multumque perdoluerat, super omnia elevatum in dextera patris regnantejam conspicit. Quem gaudens adorat omnis ordo colorum, cui venerantes inherent, et inherentes immortali Deo immortaliter vivunt. Cui ho-

^a Pro virgo legitur in Amel. rivo; et postea, ubi Feu-ardent. quod fide, etc., quæ fide.

^b In *Egypto*, Feu-ard.

^c Convenit scribit Amel. Cod.

die leta canit ipsa eademque heata mater et virgo: *Adhæsis anima mea post te: tñcire suscepti me dexteræ tuae* (*Psal. lxi, 9*), nihil enim latius, nihilque jucundius quam quæ ipsa canit: *Tenuisti, inquit, manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me* (*Psal. lxxii, 24*). Sed et ali: ^f *Quid enim mihi est in caelo, et absque te quid volvi super terram* (*Ibid., 25*)? Ac si dicat: Nihil nisi te unicum Dominum ut viderem, quem amavi, quem colui, quem cupivi, quem toto corde diu quesivi, ut es. Et ecce jam video, jamque teneo, cui me olim tota devotione commisi, nec dimittam quem amavi. Et quia jam præ amore defecit cor meum et caro mea, ideo, tu Deus cordis mei, deinceps pars mea in æternum eris (*Ibid., 26*). Porro ad sodales conversa, forte et ad reliquos gratulabunda sanctos hodie inquit: *Sicut audivimus, o dilectissimi, ita jam videmus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, quem Deus fundavit in æternum. De qua nimirum nobis dudum gloria diecebantur, jam conspicimus et fruimur plenissimo charitatis intinuit.*

Igitur pro talibus et bujuscemodi gaudiis, quibus exultant cum ea sancti in gloria, et letantur in cubilibus suis (*Psal. cxlii, 5*), latemur et nos, charissime, in speciis eorum pertingere, ad quæ illos perveniassemus cum beata Virgine credimus corde ad justitiam, et ore profitemur ad salutem, quia tunc veri laudatores sumus, si ea sectamur quæ et ipsi sectati sunt, et ad eam fidem, quæ per dilectionem est, festinamus venire quantocius. Alioquin incaute vani inspectores sumus et laudatores improbi, cum ipsi coronantur et accipiunt palmas, eo quod in agone legitime certaverint, si non et ipsi pro modulo nostro digne ad ea pertingere laboramus. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare* (*I Joan. ii, 6*).

Propterea, ut scipe dictum est, imitamini matrem Domini, quæ vobis sponsum genuit immortalem; imitamini et sanctos, quorum exempla, favente Deo, plurima leguntur. Sequimini sponsum, et festinate ingredi, quo hodie ingressa est beata Virgo ad æternas nuptias. Præparate lampades vestras, ut cum venerit sponsus, et pulsaverit, vos vigilantes iuveniat, quia beati sunt servi illi quos, cum venerit Dominus, invenerit præparatos ac pervigiles (*Luc. xii, 37*), sicut hodie hanc vigilantem invenit. Hodie namque nisi latè meruit audire illud de Canticis: *Surge, reni, proxima mea, sponsa mea, columba mea, immaculata mea; quoniam ecce hiems transit, pluria abiit et recessit* (*Cant. ii, 10, 11*). Cui forte illa leta respondit propter adventum supernorum civium: *Flores apparuerunt in terra nostra, quia tempus putatōnis advenit* (*Ibid., 12*). Ac deinde: *Credo videre bona Domini in terra ridentium* (*Psal. xxvi, 13*); bona siquidem olim sanctis reprobmissa, bona quæ sunt in Christo Iesu, quem genui, quem alii et nutriti, ad quem longe diu sicuti anima mea venire ad Deum fontem vivum (*Psal. xi, 3*), et ecce hodie tandem aliquando gaudens vocata venio, et parcebo ante faciem Dei. Unde paratum, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam in gloria mea* (*Psal. cvii, 2*). Ac si patenter dicat: *Cantabo et psallam in Christo, qui est gloria mea, quem dedisti mihi filium, ex quo non solum gloria amplior, verum et omnibus adoptio præstat. Ideo jam lata, jam secura, convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus beneficet tibi; unde placebo et in regione vivorum* (*Psal. cxiv, 9*). Beata igitur nimium et felix virginitas, quæ talibus tantisque ^e in extremo decoratur donis, et tantis coacervata virtutibus exaltatur, ita ut cum jubilo istud Davidicum hodie ju-

^f *Intra, pro infra, emendavimus ex Am.*

^g *Assumpti me, Amel.*

^h *Feu-ard.: Quid enim est in caelis, etc.*

ⁱ *Feu-ard. edidit: in extremis decoratur oculis.*

cundans decantet : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (Psal. lxxxiii, 2, 3). ^a Ac si patenter dicat : *Cor meum et caro mea exsultaverunt prius in Deum vivum, dum eum in carne parerem, dum lactarem, dum nutrirem, dumque a*et* incrementa perducere*; nunc autem ipse est rex meus, et Deus meus, quem genui, et fide credidi, corde desideravi.

Quapropter et vos, o filii, facite voluntatem Patris, ut sorores Christi et matres sitis, sicut ipse ait : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in celis est, ipse meus frater et soror et mater est* (Math. xi, 50). Facite ergo voluntatem Patris ^b mei. Quia jam sposestis, amate sponsum cui vos vovistis; et quia filiae per adoptionem estis, ^c sorores vos cognoscat summi regis Filius. Sed ne forte inde aliqua vestrum magis lascivire velit, quia altum nomen est quod quæsistis, meminisse decet quia ejus sanguine magno pro dote emptæ estis. Et ideo, juxta Apostolum : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I Cor. vi, 20). Imitamini sponsum, et amate, quia sponsæ estis. Imitamini matrem Virginem et sanctos omnes quos laudatis, quoniam non tantum illis nostra prodest laudatio, quantum nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus. Tamen vera laudatio imitatio est operis. Nam vere laudare Deum et sanctos in ipsum, jam opus virtutis est, dum proficit mens, et accenditur igne divini amoris, solidaturque fundamento veræ humilitatis. Quia profecto humilitate in Christo beata mater Virgo fundata post omnia sibi divinitus re promissa : *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. 1, 38). Hinc quoque ipsa in cantico : *Quia respexit humilitatem ancillas sue, ecce enim ex hoc beatum me dicent omnes generationes* (Ibid., 48). Felix igitur et beata mens, quæ inter virtutes eximias et donorum exuberantiam tantum se humiliavit, quoniam ^d Dominus humili respexit in celo et in terra (Psal. cxii, 6), et alta a longe cognoscit. Quod si in celo humilia requirit inter angelos, quid putatis, o filii, in terris, ubi non nisi cum peccato cinis et vermes sumus?

Idcireo imitamini Matrem Domini, et obedite patribus ; humiliamini inter virgineos flores, quia ex gratia Dei sunt pudicitiarum dona muneraque virtutum. Implorate precibus ; dicite cum Propheta : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. cxiii, 9). Quotcunq; estis, si estis quod vovistis, Dei munieris est, et gratia Redemptoris. Ejus, inquam, sunt dona, cuius hodie mater celos gloria consendit, et penetravit locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Del in voce exultationis ac letitiae, ubi jugiter sonus est epulantis (Psal. xl, 5, 6). Ergo unde prins cecinerat : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (Psal. xxxiii, 9), inde nunc epulatur cum sanctis omnibus, et lætatur. De qua nimirum fruitione deliciarum Dominus per Isaian : *Ecce, inquit, qui seruiunt mihi, et qui comportant illud, bibent in atris sanctis meis ; vos autem sitiatis. Ecce qui seruiunt mihi, exsultabunt præ gaudio ; vos vero clamabitis ob dolorem cordis, et propter contritionem spiritus ululabitis* (Isai. lxv, 13, 14).

Habetis igitur, filii, gaudia æternæ vitae, ad quæ pervenient hodie beata et intertemerata virginitas. Con-

^a *Ac si patenter dicat. Desunt hæc verba in Feu-ard.*

^b *Mei deest in Cod. Amel.*

^c *Sorores vos cognoscat, lectio Amel. ; sorores deest in Feu-ard.*

^d *Dominus excelsus, Amel.*

^e *Cum reliquis virginibus, Amel.*

A tendite et vos intrare per angustum portam (Luc. xiii, 24) ad thalamum Sponsi vestri, cujus dotem et arrbas pro munere accepistis. Satagit ac procure promereri bona quæ vobis sunt re promissa, ut accipiatis ^f cum reliquis, de quibus profecto in psalmo canit quisque fidelis : *Unam petiti a Domino, hanc requiram* (Psal. xxvi, 4), et : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (Ibid., 13). Quæ nimirum bona beata virgo Maria hodie lætissima percepit, ^f fructura sine fine cum angelis : hodie coronatur in regno, quod olim ei preparatum est una cum sanctis a constitutione mundi ; hodie collocatur in throno a dextris Dei, sicut canitur in Psalmis : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate virtutum* (Psal. xliv, 10).

Hinc, quæso, cives Jerusalem, quicunque estis viri, quæcumque virgines, quæcumque viduæ, pueri vel puellæ, venite et videte cum omni puritate cordis, conspicite diligentius Matrem Domini in æthereis sedibus cum corona diadematis renitentem. Venite, inquam, mente, fide, devotione, et videte coronatam in die solemnitatis ejus ac letitiae corona iucunditatis et decoris, qua coronavit eam Dominus sponsus virginum, rex gloriae, ac remunerator omnium bonorum. Venite, quæso, et videte, quoniam hodie translatæ est arca testamenti Dei ad superos, exterioris inaurata virtutibus, et fabricata interius auro purissima majestatis ; in qua lex testamenti Dei et manna fuit, quæ de celo fluxerat, virga quoque Aaron quæ floruerat. De qua nimirum virga David in Psalmis : *Emissit Dominus ex Sion (inquit) virgam virtutis tuæ* (Psal. cix, 2). Deinde faciens apostrophem ad eamdem, *Dominare (inquit) in medio inimicorum tuorum* (Ibid.). Quæ profecto virga nobis florens attulit fructum salutis pacatissimum, qui ad tempus intra uterum Virginis mysticum germinavit sacramentum. Hinc quoque de ea in Canticis : *Umbilicus tuus tornatilis, non indigens poculis ; et venter tuus acervus tritici, rallatus liliis* (Cant. vii, 2), eo quod concinat sibi in omnibus Christi ortus ex Virgine. Vere alvus ille ^g tornatilis fuit, quia in eo sapientia se influxit, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis gratiam habens, et divinitatis sua plenitudinem sub invi- nistrans ; in quo nimirum Virginis utero simul acervus tritici et lili flares Christi gratia ^h germinant, quoniam et granum tritici Christus erat, et liliuni. Granum quidem, secundum quod ait : *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet* (Joan. xii, 24). Verum quia de uno eodemque grano tritici acervi creverunt frumenti, hinc conpletum est illud propheticum : *Et valles abundabunt frumento* (Psal. Lxv, 14), quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum manna fuit, et ideo omnes homines perpetua coelestium munerum messe saturavit. Unde David : *Cibarit eos (inquit) ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos* (Psal. lxxx, 17). In hoc ergo grano etiam lilium esse testantur divina eloquia. Ego, inquit, *flos campi, et lilyum convallium* (Cant. ii, 1). Propter quod uterus ejusdem Virginis per aream figuratur, quæ cuncta sacramentorum arcana in se habuit ; habuit enim panem vivum illum qui de celo descendit (Joan. vi, 51) ; habuit et legem Testamenti N. vii, quia legislatorem genuit, in quo sunt omnes thesauri sapientiae atque scientiae (Coloss. ii, 5). Et ideo recte arca sacramentorum Dei virgo Maria fuit, supra quam sane propitiatorium et cherubim

^f *Fruitura cum angelis est lectio Cod. Amel., nam Feu-ard. habet : fruitur et cum angelis, etc.*

^g *Crater tornatilis fuit, Amel.*

^h *Germinarit, Amel.*

ⁱ *Granum emendavimus ex Am. nostro, pro gratiam, quod erat mendose in Feu-ard.*

hinc inde obumbrantia figurantur, quia Marice nūl-
lum extrinsecus obrepdit peccati contagium, sed
intus omnis custodia legis et manna fuit, quod est
mirabile sacramentum, ac propitatio humanae salu-
tis. Supra quidem propitiatorium recte positum est,
quia ipse propitatio nostra super omnia est bene-
dictus Deus.

Et ideo, charissimæ, sursu[m] corda erigite, quo
hodie, ut ita fatear, arca testamenti ab angelis glo-
riosissime ad sublimia deportatur. Illo ^a mente[m]
figite quo pervenit sexus feminus, et virginitas Do-
mino consecrata, habens supra se illum a quo divi-
nitus de medio cherubim responsa dantur fidelicibus,
et in quo repropitatio prestatur recte credentibus.
Et ideo quo[rum]que Deo mente offere vultis, H[ab]e
fide transmittite, illuc vota inferte, inde precibus
impetrata reportate, quoniam non aliunde est ex
quo Deo Patri placere possitis, nisi in quo Pater to-
tum constitutum placitum suum. Hinc rogo de propi-
tiatorio vobis quotidie loquentem audite, quia in
ipso et ex ipso est summa redemptionis nostræ. Et
si qua sunt filie que offerimus, et totum per eum
offeramus, in quo sibi Deus placere decrevit; quo[n]iam
aliunde non est unde placera possimus. *Hic
est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene com-
placui; ipsum audite* (*Math. xvii. 5*). Propterea
audite ipsum loquente[m] in Evangelio, audite in Scri-
pturis sacris, in quibus ab initio voluntas Patris
per Filium monstratur.

Et quia hodie introducta est arca testamenti Dei
in Ierusalem illam coelestem cum gaudio exsultatio-
nis, queso cum hymnis et canticis devotissime
agite diem festum cum omni frequentatione populi.
Quod si David una cum omni populo dignum duxit
arcam veteris testamenti cum tanto honore prosequi, ut Scriptura testatur, multo religiosius est
hanc dignis laudibus commendari. Ait namque
sermo divinus, quod ascendit David, et omnis po-
plus cu[m] eo, ut ferrent arcam Dei, super quam
invocatum est nomen Dei exercituum sedentis super
cherubim. Ac deinde *David*, inquit, *et omnis popu-
lus iudebant coram Domino omni virtute in canticis,
citharis, et psalteriis, tympanis et sistris, cum cymbalis
et tubis* (*II Reg. vi. 2; I Paralip. xiii. 8*). Rogo,
si in figura officiosissime tanta confertur gloria,
quid putas hodie ante beatam Virginem, quando illa
in coelestem Ierusalem evehitur, quantus exercitus
sanctorum praecucurrit cum hymnis et canticis?

Nec dubium quin illa centum quadraginta quatuor
millia, qui in conspectu throni et seniorum sunt,
tenentes citharas suas, cecinere cum omni fragore
celi canticum novum, quod nemo potest dicere, nisi
ipsi qui hodie festivi veniunt obviam cum citharis
suis, ac lati in suo beatam choro excipiunt Virgi-
nem, non qualecumque, sed unam ex numero pru-
dentum, et primam omnium inter primos, quæ vadit
post agnum proximior quo[rum]que ierit. Canit
autem et ipsa cum eisdem canticum dramatis novum,
quod nemo nisi eo in choro dicere valet. ^b Habent
igitur sancti organa sua in coelestibus, quibus dul-
cia canant carmina; habent psalteria et tympana;
habent et tubas cum cymbalis, et sistris, in quibus
personant Deo digne laudes singuli in cordibus suis.
Unde una virtutum harmonia Deo quotidie offertur
cum jubilo in voce exultationis ac letitiae. Quæ omnia
hodie musici generis cantica sonuerunt fragore
in coelis obviam Virginis, tanquam voces citharizan-
tium. Forte occurrit primum ei virginum chorus,
inter quas, ut reor, flos purpureus, Tecla scilicet et
Cæcilia, Agnes quoque atque Perpetua; deinde vi-

^a *Mentem figite, Amel. Mente fugite, Feu-ard.*

^b Hoc loco legitur in Feu-ard. tota illa periodus:
*Dramaton enim genus est carminis, etc., quæ habe-
tur supra in principio hujus sermonis; nos vero re-
fecimus, quoniam redundat hoc loco, nec in Amelian.
reperitur.*

A duarum laudabilis numerus, ubi ^c vadit et Anna filia
Phanuelis una cum ceteris omnibus; Sara quoque
mater nostra, Rebecca atque Rachel cum pronubis
sanctis. Quid plura? cuncti greges universi ordinis
hodie lati eam suscipiunt, *Hosanna* præcientes sub
dramate jubilationis ante Matrem summi Regis,
quæ verum fuit templum Dei vivi, et arca testamenti.
Ante quam sane arcum in figura Christi regem de-
votissime nudum saltasse legimus, et post sex passus
hostias immolasse. Quod si David gloriam illius que
evacuatur tanto tulit honore, quoniam hec rerum
figuratarum gesta sunt; quanto magis arca Dei vi-
ventis, de qua natus est Christus, Dei virtus, et Dei
sapientia, huc hodie cum lau[or]ibus effert? Illa
namque omnia umbra sunt futurorum; in Maria
vero manifesta veritas, ante quam Christus rex sub-
siliendo pertransiit de morte ad vitam, de corrup-
tione ad incorruptionem; sicque Ecclesia una cum
matre reduxit ad superos, quoniam ipsa est Dei
templum, et arca novi testamenti, in qua verus Deus
versatur; non in figura et in senigmate; sed in
veritate pro salute omnium Deus homo immolatur.
In cuius profecto sanguine testamentum confirma-
tum est novum, quod testatus est cum patribus no-
stris, et recorditum in utero Virginis, inde ad nos
usque translatum. Quæ nimur Virgo, ac si arca,
hodie de captivitate hujus seculi angelorum exse-
quis glorificata reducitur, non in Jerusalem quæ
decoxit vel evastavit Chaldaeorum exercitus, sed in
illam veram et coelestem, quam fundavit Deus et
non homo, collocatur. Unde velim vos diligenter
considerare, dilectissimi, cum quantis laudibus pro-
sequi debeamus Dei genitricem, ad coeli palatium
procedentem, quam hodie coelestis veneratur exer-
citus; cui comitantur legiones angelicæ; in cuius
adventu tripidat ordo celorum, et exsultat sancto-
rum numerus; quia et si gaudium est in celo super
uno peccatore convertente in terris (*Lac. xv. 7*),
multo magis gaudere credendum in celo de adventu
et gloria tantæ Virginis. Ideo et nos, quæso, gaudea-
mus in hymnis et canticis spiritualibus; jubilemus
Deo cum exultatione, qui tantum dilexit nos, ut
ipse fieret, ^d propter quod nos sumus, homo. Ac
deinde qui eramus filii iræ omnes, juxta Apostolum
(*Ephes. ii. 3*), fecit filios Dei per gratiam, quod
ipse est per naturam.

Quapropter, obsecro, accedite ad tantam gratiam
per fidem; indesinenter accedite, et videte visionem
magnum cum Moyse, quam vidit in rubo. Videle, in-
quam, jam completum, et admirans in quod prævide-
bat ipse tantus patriarcha in spiritu futurum. Alioquin
nisi in spiritu videri non potest etiam res gesta, quia
visio magna est, quam digne prævidere et annuntiare
nemo potest. Unde Moyse ait: *Ibo, et pertransibo,*
et video (inquit) *visionem hanc magnam* (*Exod. iii.* 3). ^e Vere magnum; videbat enim quod arderet ru-
bus silvestris, et non consumebatur, quod erat multum mirabile. Sed longe mirabilius erat, quia Deus
erat totus in rubo, et angelus vocabatur. Erat quippe
visio corporea valde mirabilis, sed longe mirabilius
quod intelligebatur in spiritu, quia præsens totus
erat in flamma, et quod per flammam futurum mon-
strarabatur, ita ut nec flamma deficeret, nec rubus igni-
bus consumeretur innocuis. Quo nimur incombustio-
manente, virginitatem beatae Mariæ conservatam cre-
dimus corde, confitemur ore, quoniam Spiritus sanctus,
quia Deus ignis consumens est (*Deut. iv. 24*). totam inflammavit et incanduit, ita ut mater fieret
Christi, et templum divinitate majestatis. Non enim præ-
bebat calor iuncta materies rebus alimenta incendi,

^c *Vadit* habet Amel., *vadit* Feu-ardent. Forte
typographi erratum est.

^d *Propter quem nos sumus*, Amelian. Cod.

^e *Admirari*, Amel.

^f *Vere magnam*. Supplevimus haec verba ex nostri
Ameliano, quæ sententia multam vim addunt.

seque sentiebat frutex damna naturæ possessa fummis. Ita et beatæ virgo Maria, quamvis nemo qui Deum videat, ipso teste, vivere possit (*Exod. xxxiii, 20*), tamen totam deitatem in se suscipiens per Christum quem genuit, vixit intacta; felicius deinceps virgo et incorrupta permansit. Hæc erat visio magna, quam pertransiens Moyses in spiritu prævidebat; unde tremefactus non audebat accedere, quoniam ineffabile erat totum visu quod cernebat. Propterea et vos, sanctimoniales Christi, nolite parviperdere visum intelligentiæ, ignem divinitatis, quem resplendere-recolitis in Maria, quoniam ipse est Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, ut vox de rubo sonuit, qui matus est ex ea. Ergo pluris est res quam completam cernimus, et permanet in salutem, quam figura quæ pertransit ad tempus veritate exhibita. Hinc quoque beatum dicimus Moysen, * qui talia a longe et magna futura conspexit; sed beatior Maria, de qua ipsa visio fuit. De qua sane visione prophetarum eximius Habacuc tremens factus canit dicens: *Domine, audiui auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi* (*Habac. iii, 2*). Expavit autem, tale aliquid ut vidit; expavit et Moyses, eo quod incomprehensibile erat homini quod utrique videbant. Pavemus ergo et nos, ne forte perefluumus a tanto mysterio redemptionis nostræ; et adeamus mente eam fiducia per interventionem sacratissimæ Virginis usque ad thronum summi Pontificis, ubi pro nobis est hostia ipse, et sacerdos, advocatus, et iudex. Et quia minus idonei sumus ad hoc, per ipsam rogemus Christum, cuius hodie festum colimus. Rogemus votis omnibus, imploremus precibus, ut ipsa pro nobis rogare dignetur apud eum quem genuit; quia etsi non sumus tanti meriti ut Moyses, et prophetæ, aut apostoli, beati tamen qui non viderunt, et crediderunt (*Joan. xx, 29*). Credamus ergo et nos, ^b et laudemus quæ gesta sunt, visa, et credita, quoniam vera sunt, ut ad ea quæ repromissa sunt pertingere valeamus.

Sed quia laudare digne nequimus beatam Virginem, quia inferior est ea nostra laus, veneremur et amemus quantum possumus. Adoremus Deum Patrem, ut veri adoratores, ut Salvator ait, in spiritu et veritate, quia Deus Spiritus est, et qui adorant eum, oportet adorare in spiritu (*Joan. iv, 23*). Alias autem nisi in spiritu non adoratur, nec ei recte servitur. Idecirco egredimini ex iis angustiis carnalibus; exuite vos veterem hominem, et induite novum qui secundum Deum creatus est (*Colos. iii, 9, 10*). Egredimini ex hac ^c dilectione carnali, ne sollicitudo praesentis vite ac voluptatis suffocet in vobis verbum vitae, quod seminatum est in corde. Peregrinamini magis a corpore, ut cum Deo adesse possitis (*Il Cor. 5, 6*), quoniam *qui in carne sunt Deo placere non possunt* (*Rom. viii, 8*). Vos autem, charissimæ, jam in carne non etis, quæ carnis opera in vobis mortificatis, sed in spiritu. *Quicunque ergo spiritu Dei aguntur, ii filii eius Dei* (*Ibid. 14*).

Et ideo dilatamini vos, et erigite mentem ad sublimia, ut possitis comprehendere ea in quibus Christus sponsus vester in dextera Patris sedet et glorificatur; quatenus ibi adoretis eum in throno ubi est ipse, ^d quia jam extra mundum est, ubi in circuitu throni eius viginti quatuor seniores sedere leguntur ante conspectum Dei in sedibus suis, et adorant Christum regem viventem in sacra sacerdotia, mittentes coronas suas ante pedes ejus, quas ab ipso accepérunt, dicentes: *Gratias tibi agimus, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, qui acceperisti virtutem, et regnasti in sacra sacerdotia* (*Apoc. iv, 4*). Ergo ubi adorant hi, et quomodo adorant, quantum fas est mortalibus, etiam in presentiarum adorare eum oportet.

* Representamus lectionem nostri Am. correctiōrem multo Feu-ard., qui sic edidit: *Qui talia a longe et magna conspexit; sed beatior Maria ipsa visio.*

^b Feu-ard. soluū habet: *Et laudemus, ut ad ea quæ repromissa sunt pertingere valeamus. Cetera*

A tet, quoniam Christus in Patre veritas est, veraxque Pater in Christo vero Filio totus est, qui unus et verus Deus est, qui in Spiritu sancto adoratur, quia Deus Trinitas est, et ipse Deus Trinitas in templo suo, et non in manufactis hominum est (*Act. xvii, 24*). Templum autem Dei Ecclesia est, sicut Joannes testatur in sua Apocalypsi: *Et apertum est, inquit, templum Dei in caelo, et arca testamenti ejus visa est* (*Apoc. xi, 19*). Quæ profecto arca non illa Moysi fabricata, sed beata virgo Maria est, quæ hinc jam transposita erat; quam beatus Joannes evangelista, testis veritatis, cui commissa est, forte recognoscens venerabiliter afflatur. Quia in caelo visa est, monstratur species in genere, sicuti et genus per speciem declaratur. Quoniam beata Maria in templo Dei visa est, scilicet in Ecclesia Dei; Ecclesia vero in ejus virginitatis fructu penitus Domino dedicatur; ac per hoc arca testamenti Dei, ipsa videlicet Dei genitrix, in templo ejus non in merito visa est, ^e quia Ecclesia et ipsa Virgo est. Unde Apostolus: *Despondi enim vos uni viro, inquit, virginem castam exhibere Christo* (*Il Cor. xi, 2*). Et ideo, dilectissimæ, illuc mentem dirigite, ubi sponsus vester pro nobis introiit, et beata Virgo visa est, quoniam ibi ejus festivitas recte colitur, ubi Christus est sponsus, et æternæ vite gaudia celebrantur. Unde, queso, egredimini fide, moribus, mente, atque omni desiderio æternæ visionis, actibus et pollutum nolite tangere. Ascendite sursum per contemplationem, et per ^f conversationem bona vita, donec apertum est templum Dei in caelo; quatenus ingredi possitis, omnia ubi vobis re-promissa bona servantur, et Virgo sancta celesti jam immortalitate vestitur. In cœlestibus namque sint corda vestra erecta, ubi est et thesaurus vester (*Math. vi, 20*). Imo idem et thesaurus æternæ hereditatis sit in corde vestro, quatenus quod est in caelo, in vobis sit per fidem. Coronam itaque vestrarum nemo accipiat alter, donec veniat sponsus (*Apoc. 3, 11*); quin imo vos corona decoris esse possitis in manu Domini per gratiam ejus (*Isa. lxii, 3*), qui vos ad æternam vocavit gaudia, Jesus Christus, filius Virginis, Dominus noster, qui cum aeterno Patre una cum Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO II.

DE EADEM ASSUMPTIONE BEATAE MARIE SECUNDUS.

Inter præcipuas sanctorum festivitates, charissimæ, hodierna nobis refulxit insignis et gloria genitricis Dei Mariæ solemnitas, in qua ipsa beata et venerabilis Virgo assumpta est glorioissime ad æthereum thalamum, in quo, ut canimus, Rex regum, filius beate Marie virginis, stellato, imo ineffabili sedet solio. Ubi millia millium ministrant angelorum, juxta Danielis vaticinium (*Dan. vii, 10*), et decies centena assistunt millia; quorum cum laudibus et exequiis gloria Dei Genitrix hodie de terra exaltata, et de carne evecta, cum triumpho et exultatione suscepta est in caelo, et collocata in paradyso. Hæc est namque sacra et venerabilis solemnitas, fratres, ante mundi constitutionem præscripta et præordinata; sed hodierna die exsultanter est impleta. Nobis quidem, dilectissimi, hodierna est annua; sed angelis in caelo et supernis civibus est continua et perpetua. Sed quia in presentiarum nobis continua esse non potest, debet tanto celebrior fieri præ omnibus sanctorum festis, quanto ineffabili usitatur privilegio mater Domini Salvatoris et donum possidet perpetue virginitatis. Quia et si imparit præmia justus iudex, Christus Dominus, secundum Apostolum, unicuique iuri opera sua (*Rom. ii, 6*), huic tamen sacratissimæ Vi-

supplevimus ex Amel.

^c Pro dilectione habet Am. *delectatione*.

^d Amel. Cod., qui.

^e Quia arca et ipsa virgo est. Amel.

^f Conversionem pro conversationem, Feu-ard.

gini genitrici sue, sicut incomparabile est quod ges-
nit, et ineffabile donum quod percepit, ita et inestimabile atque incomprehensibile præmium et gloria, non dico inter ceteras sacras virgines, verumetiam ultra omnes sanctos, quam proueneruit. Pervenit namque ad coeli palatium beata et gloriosa, ubi Christus sponsus Ecclesie infra thalamum collocavit eam in dextera maiestatis. Ibi siquidem eam assumpsit præcellentissimam inter primos, ubi, juxta David vocem, stat regina in dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal. XLIV, 10*). Haec igitur dies est, in qua renata inter filias Jerusalem speciosa resplenduit, in qua gloriosa Dei genitrix quasi aurora processit, et vadit post agnum gloriosior quocumque ille pergit.

Haec namque est, ut dixi, fratres, festivitas ho-
dierna præcipua et venerabilis nobis; sed venerabili-
or in celo est angelis et sanctis omnibus, quorum
ketitia et gaudium procul dubio ex hujus adiumento
diei exultatione, quando beata Dei genitrix clarior
sole resulsa in throno claritatis. Nam Christus, sicut
legimus, in sole posuit tabernaculum suum (*Psal.*
XVIII, 6); de quo ipse, ut ita loquar, tabernaculo pro-
cessit tanquam sponsus de thalamo suo. De quo sane
tabernaculo, ac si ex voce genitricis Dei, dicitur :
Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo (*Ecli.*
XXIV, 13). Idcirco absque dubio, fratres charissimi,
beata Virgo pro tanta gratia, tantique honoris pri-
vilegio materno hodie resedit sublimata in throno;
quoniam etsi duodecim leguntur throni, in quibus
duodecim apostolorum sessus est numerus, quando
Iudex omnium, sacratissime hujus Virginis filius,
sedebit in sede maiestatis sue cum senatoribus suis
(*Math. XIX, 28*); non desunt tamen ibidem quam plu-
rimi alii, inter quos in conspectu Dei etiam viginti
quatuor dicuntur residere seniores, et adorare ante
thronum Dei viventem in secula seculorum (*Apoc.*
IV, 10). Sed et Daniel testatur quod throni positi
sint, nec eorum tamen expletum numerum (*Dan. VII, 9*).
Unde liquido constat, dilectissimi, quia thronus beatissimæ Virginis, paratus ante mundi constitutionem,
hodie celsior glorificatur, et ^b veneratur etiam ab
angelis; nec immerito igitur, quoniam et ipsa facta
est thronus Dei et thalamus, in cuius utero veniens
sapientia Dei Patris, Verbum caro factum est, et ha-
bitavit in nobis (*Joan. I, 14*). Quod si anima justi
cujuslibet sedes est sapientia, teste Scriptura (*Sap.*
7), multo magis hujus anima, fratres charissimi,
quam Spiritus sanctus sic ^c implevit, etiam ante
conceptionis horam, ut salutaretur ab angelo. Ait
enim : *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, be-
nedita tu in mulieribus* (*Luc. I, 28*). Ad quam ita
mox ingressus Filius Dei, qui est virtus et ^d sapientia Patris, sic replevit, sicutque possedit, ut in ea Ver-
bum caro fieret, et ^e habaret totus Deus in homine.
Et ideo totus in nobis, quia ^f totus Deus in ea fuit;
ac per hoc, quem coeli et terra non capiunt, totum
concepit Virgo de Spiritu sancto, et peperit pro sa-
lute mundi Deum et hominem.

Ideo, dilectissimi, cogitate cum omni integritate
fidei, cogitate, inquam, anima hujus Virginis, quia
commercialium tanti munieris ^g, non scire digne nec

^a Multiplici circumdata varietate, Amelian.

^b Veneratur, lectio Amel., pro qua habet Feu-ard.,
inventur.

^c Replevit, Amel.

^d Sapientia Dei Patris, idem.

^e Habitaret, lectio Amel. Cod., quæ consonat
precedenti verbo *ficeret*; quare exclusimus Feu-ard.,
habitavit.

^f Totus Christus habet Amel.

^g Non scire; ex Amel. emendamus Feu-ard. qui
edebat non fide.

^h Feu-ard. edidit : *Plusquam martyr mater est.* Sed
nos vocem *martyr* rejectimus, quoniam in Amel. non
legitur.

A cogitare possumus. Idcirco hujus Virginis animam
Dominum magnificantem glorificemus (*Luc. I, 46*),
quam hodie paradisus exceptit gaudens, quam angeli
cum laudibus prosequuntur, quam apostolorum cho-
rus veneratur, quam martyres candidati beatificant,
quam sanctorum confessorum stolidus concelebrat
numerus, cui hodie sanctorum virginum cum suis
palmae vetricibus exsultanter occurrit exercitus.
Quoniam haec est anima illa beata, per quam auctor
vitæ ingressus est mundum, per quam omnis male-
dictio soluta est priorum parentum, et coelestis bene-
dictio in toto venit mundo. Hec est Virgo, in cuius
utero omnis Ecclesia subarratur (*sic*), coniuncta Deo
sædere sempiterno creditur. Pro talibus et hujuscemodi
sacramentis veneranda est, fratres, hodierna festi-
tas, sic annua, ut semper nobis continua maneat et
venerabilis in mente; quoniam post Christum, quæ
caput est et Deus totius Ecclesie, haec Virgo gloriosa
refulget, etiam super choros, ut cantatur, exaltata
angelicos, clarissima inter virgines, candidior inter
martyres. Quia etsi illi martyrio coronati dealba-
runt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine
Agni (*Apoc. VII, 14*), nihilominus haec beata et ve-
nerabilis Virgo candidior digne prædicatur, eo quod
etsi corpora martyrum pro Domino supplicia pertul-
erunt, nihilominus haec admirabilis Virgo in anima
passa, teste Domino, comprobatur. Ait enim Simeon,
vel Dominus ad eam : *Et tuam ipsius animam per-
transibit gladius* (*Luc. II, 35*). Quod si gladius usque
ad animam pervenit, quando ad crucem stetit, fu-
gentibus apostolis, cum videret Dominum pendente-
tem (*Joan. IX, 25*), etiam plusquam martyr fuit,
quia in animo non minus amoris quam mœroris est
intus gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non
deesset manus percussoris. Beata Dei genitrix jure
plusquam ⁱ mater est; quia nimio amore vulnerata
testis exstitit Salvatoris, ⁱ et pro mœrore in animo
cruciatum sustinuit passionis.

Propterea igitur quia haec virgo et mater i ineffa-
bilibus est donis in presentiarum munera, privi-
legiis sublimata divinis, credere oportet quod hodie
omnimoda coelesti ita illustratur gloria, ut nullus in
terris possit digne laudibus venerari. ^k Unde quia
quantum debemus eam honorare non possumus, im-
plorandus est Spiritus sanctus, qui eam replevit et
ornavit immensis largitatis sue munerialibus, implor-
andus etiam ipse unigenitus Deus, Filius, ut pro-
modo infirmitatis nostræ suscipere dignetur laudes
utcumque pro ipsa quas offerimus, quia nemo mortali-
um est qui digne possit hujus sacratissimæ Vir-
ginis laudes dicere, neque possit mysteria quæ in
illa completa sunt verbis explicare. Tamen admone-
dum ^l quantum colanda sit, ostendit Gabriel archan-
gelus ad eam missus venerabiliter (*Luc. I, 26*), dum
eain prior salutat ex officio debitæ venerationis, et
collaudat gratia plenam, quam benedictam prædi-
cat inter omnes mulieres, moxque matrem afflurana
Domini ^m indicat. Alioquin, charissimi, nisi esset
non tantum ultra mulieres, verumetiam meritis ultra
homines, tantus archangelus non tantam ei exhibe-
ret salutationis gratiam, nec tales tantisque inferret
laudes. Quod si adhuc in carne mortali, ⁿ etiam ante-

ⁱ Amel. : et per mœrorem in anima cruciatum sus-
tinuit passionis.

^j Ineffabilibus est donis in presentiarum munera
etimus ad Amel. Cod., nam lectio Feu-ard. ineffabi-
lis est non cohæret.

^k Sequimur Amel., ex quo verba aliqua supplevi-
mus; ita enim Feu-ard. : *Unde quantum debemus,*
quia non possumus.

^l Quantum colenda sit. Doest sit in Feu-ard. et
habet Amel.

^m Indicat desideratur in Feu-ard.

ⁿ Etiam completis mysteriis sacramentis. Ita Feu-ard.,
male, et contra sententia veritatem; et prosquir-
tur : *Archangelus Dei exhibuit reverentiam.* Nos re-

completae mysterii sacramenta, archangelos Dei tantum et exhibuit reverentiam, et attulit laudis processio; quid potius, charissimi, hodie in eis quantas deferunt hudeas, et glorificant Filium Dei, qui natus est ex ea? Hic est namque, dilectissimi, Maria virgo, ob cuius se nataram Christus quam sapere Filium hominis testatur ex Evangelio, ubi ait: *Filius hominis venturus est in regno Patris sui* (*Math. xvi, 27*). Necnon et cum diceret beato Petro una cum ceteris: *Quem dicunt homines esse Filium hominis* (*Ibid.*, 15)? ac deinceps ab eis quereret: *Vos autem quem me esse dicitis* (*Ibid.*, 16)? ait Petrus pro omnibus: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*; non quod eum negaret filium beatissimae virginis Marie, quod ait Christus, sed ut demonstraret unum eundemque Filium hominis esse Filium Dei: quam fidem tam in Petro quam in ceteris apostolis requirebat Dominus. Et ideo, charissimi, veneremur sicut matrem Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi; prædicemus ac si matrem Domini, et perpetuam virginem, que hodie pervenit ad thalamum aeterni regis, ad easdem nuptias quae in utero ejus sunt dedicate, et pro quibus arrhas accepit sponsa Christi in dotis titulo, et pignus honestatis aeternae, Spiritum sanctum (*Ephes. i, 14*).

Sed qui nimis idonei sumus de tanta dignitate loqui aut cogitare mysteriis, redeamus ad ipsius verba beate Virginis, ad ipsius rudimenta virtutum, quæstiones ex ejus tirocinio humilitatis⁴ melius discerere valeamus cur deinceps ad tanto pervenerit celitudinem claritatis. Ait enim inter cetera: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, eccœ enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc. i, 48*). Hinc, queso, fratres mei, audite matrem prophetassam Dei. Prophetassam dico, imo, ut ita dicam, evangelistam. Audite, queso, virgines, audiat omnis seminarum ordo humilitatem lantæ Virginis; et nolite credere, si non jam completa sunt omnia, quæcumque prædictum per eam, qui ipsam repleverat Spiritus veritatis. *Eccœ enim, inquit, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ergo quando haec sancta et venerabilis Virgo dicebat, nescio, fratres, vel si paucis in eadem gente Iudaeorum nota fuisset; loquebatur tamen cum fide, et prædicabat quæ futura noverat. Dicebat autem humiliis et ancilla, ¹ que se beatam noverat: *Eccœ enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quapropter, queso, respicite terras quæcumque sed suo illustrat lumine, et videite, quoniam nulla iam pene est natio, nullaque gens, que Christum non credit; et ubique Christus colitur et adoratur, venerabilis Dei genitrix Maria, beata et felix, necnon et virgo perpetua prædicatur. Et ideo, fratres, parum est ab uno vel a paucis dicti, quod ab omnibus ubique prædicatur et creditur. Hoc itaque est, dilectissimi, quod dico, quia creditur. Et ecce per orbem terrarum ubique in omni gente et in omni lingua beata Maria virgo pronuntiatur, et quot sunt homines, tot habet testes. Verum siquidem dixerim, quia creditur, dum prædicatur. Prædicatur autem, quia vere beata creditur esse apud Deum; et nunc fiduciarius ubique pronuntiatur, quia vere et fideliter beata creditur.

Tamen quod predictum est, in omnibus adimpletur, quia in terris beata et gloria dicitur, in celis vero ab omnibus sanctis conspicua collaudatur et præclara. Inde enim, charissimi, haec festivitas gloria, unde illa sublimatur, et beata etiam ab Ange-

presentamus lectionem Amel. Cod., veriorem et plenioram abs dubio.

^a Non minus corrupta est hoc loco Feu-ard. lectio, quæ erat hujusmodi: *de cuius se natum Christus quam sapere, etc.* Lectio Amel. Cod. plana est, si illud se post Christus legatur.

^b Receditus in his locis a Fen-ard., qui habebat hic: *Ac deinde refert.*

^c *Ejus supplevimus ex Amel.*

^d *Feu-ard.: melius dicere videamur cum de imis*

A lis veneratur. *Quia respexit, inquit, humilitatem anticulas sue: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc. i, 48*).⁵ Mira et omni devotione plena vox, qua dicitur: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Non enim ait: *Quia respexit virginitatem meam, aut innocentiam, aut aliam quarumlibet virtutum gratiam; sed solam humilitatem suam respxisse Dominum humilior fatetur.* Mira itaque disciplina virtutis, et admirabilis philosophia. Siquidem mira et circumspecta professio Virginis, ut et veritas panderetur in sermone, et in nullo offendetur divina virtus, quo magnificabatur in professione. Unde cum andisset omnia quæ ab angelo ei deferebantur incomprehensibilia, et credidisset inaudita, necnon etiam et quæ ab Elisabeth dicebantur credita: *Magnifica, inquit, anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (*Ibid.*, 46). Deinde inuitit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Verumtamen in nullo de se præsumpsit, in nullo aliiquid de se altum sapit; sed tota in Deo exultat, totusque spiritus ejus in Deo gaudet, et tota ejus anima Dominum magnificat et collaudat. Nihil sibi attribuit meritorum. nihil sibi de se applaudit; sed solummodo ea quæ Dei sunt requirit et sapit. Idcirco in illo tota exultat, tota gaudet et letatur; solam sibi vindicat humilitatem ancillæ, que mater veneratur ab angelo Salvatoris. Nec tamecumdem humilitatem a se ^b aliquid esse dixit, sed quia Altissimum eam respexit, et acceptam sibi fecit, ideo, inquit, *beatam me dicent omnes generationes.* O mira confessio, et mira humilitas! Confitetur humilitatem, quam solam in se respxisse dicit, qui cuncta respicit, et continuo prædicatur beatitudo ipsius, de qua hodie totus testis est mundus. Quæ beata etiam et cum Christo in aeternum regnare creditur, quia completa sunt quæ prædicti. Scriptum quippe est: *Omnis qui se humiliabit exaltabitur* (*Luc. xiv, 14; xviii, 14*). Exaltata est autem sancta Dei genitrix, non solum quia humili inventa est, verum etiam ineffabiliter gratia repleta est. Quam deprecantes veneramur, et venerantes deprecamur; ut ipsa pro nobis intercedere dignetur apud Dominum nostrum, Dei Filium, quem de se genuit incarnatum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO III.

DE EADEN ASSUMPTIONE BEATAE MARIE TERTIUS.

Adest nobis, dilectissimi fratres, hodierna festivitas beatae Mariae virginis gloriosa, plena gaudiis et immensis de ascensu ejus repleta muneribus. ⁱ Illustris quidem pro meritis, sed illustrior valde pro gratia quæ illustratur, non tantum beata ipsa virgo, verum etiam per eam omnis Christi Ecclesia. Nec enim gratiam ex meritis gloriosa virginitas promeruit, sed præmia meritorum ex gratia percepti. Et ideo celebritas hodierna inde gloriosior est celrorum sanctorum natalitiis, quo illustratur beata Virgo et mater Domini ineffabilibus divinorum sacramentorum privilegiis; quia inde creverunt merita, unde plenissime referita est gratia. Et ideo apud Dominum quanta pensanda sint ejus merita, vel cogitanda præmia, puto quod nemo est qui ad purum edisserat, nisi qui potest vere perpendere, qualis vel quanta sit ista gratia, qua repletur ipsa, per quam venit in munitionem Dei majestas. Idcirco, fratres mei, veneranda est haec

ad tantam pervenerit magnitudinem claritatis. Verum huic lectioni præclaram Amelianam.

^a Loco matrem legit Amel. mecum.

^b Amel., quod se beatam dicerent omnes generationes.

^c Feu-ardent.: *Mira eternam devotionem.*

^d Aliquam esse dixit. Amel.

^e Sequimur Amel. Cod., nam Feu-ard. ita edidit: *Illustri siquidem de meritis.*

solemnitatis cum omni devotionis obsequio, et venerandum quod canitur etiam super choros exaltata angelorum. Nam nulli hominum unquam concessum est tanti uti privilegio muneric, etiam ^a nec angelo, ut una persona esset in Trinitate, quam de substantia sua genererit, et esset Deus.

Ideo, queso, sileat insipientia carnis, et celebretur dignae cum laudibus festivitas matris Domini et Salvatoris nostri, tanto honore dignissima, quantum est veneranda ex gratia, quia ejus honor et gloria, laus et gratiarum actio est Redemptoris. Hodie quippe vocata processit, et immarcessibilem de manu Domini cum palma virginitatis percepit coronam. Hodie in throno regni suscepta est, et resedit. Hodie thalamum intravit, quia simul virgo et sponsa fuit. Hodie siquidem audivit illam vocem blandientis a sede maiestatis, qua dicitur: *Veni, electa mea, et ponam te super thronum meum, quia concupiri rex speciem tuam.* Ad quam sane vocem credimus quod gaudens et exultans soluta est beata illa anima, ac perrexit ad Dominum, ubi facta est ipsa thronus, que fuerat in carne templum divinitatis. Tanto speciosior pre cunctis et sublimior, quanto et gratia gloriosior resulsa. Haec igitur divina est recompensatio, fratres, de qua dicitur: *Omnis qui se humiliat exaltabitur* (Luc. xiv, 11; xviii, 14). ^b Fundata enim erat profunda humilitate, et dilatata in charitate, propterea hodie tam sublimiter est exaltata.

Sed quia celitudinem et magnificientiam throni perscrutari non possumus, saltem thesauros ejus humilitatis interdum perscrutemur, ut deinceps, ejus intervenientibus meritis, ad gloriam donorum pertingere valeamus. Nam humilitas custos reliquarum virtutum est; et ideo venerabilis Virgo, quia virtutes multas sibi aggregaverat, custodem earum humilitatem in animo serebat. Quam post perceptam gratiam ampliavit, et confessa est se esse ancillam, que mater erat Creatoris. Nihil nobilius, fratres, Dei malte invenitur, que se profitetur ancillam; nihil splendidius quam splendor elegit glorie. Noverat enim beata Virgo quia humilitas Deo semper placet; et ideo ex nuntio cum salutatur, nihil alium de se sapit, nihil praesumit, sed tota humilis ad Deum intendit, cui totum deputat quod est, et quod audit. Quapropter et nos discamus Deo deferre, discamus de nobis humilia sentire semper in omnibus. Discimus humiliari, quia auctor vita ideo ad nos cum esset altissimus, humiliis venit, ut nos humilitatem de se doceret magister veritatis. Quia si quis sine humilitate virtutes congregat, quasi qui in vento pulverem portat. Unde ait ipse in Evangelio: *Discite a me, quia misericordia sum et humiliis corde* (Matth. xi, 29). Nec sine causa igitur praecepit mortales et fragiles humilitatem discere jubel, qui etiam in celis, ubi immortalis regnat inter angelos, humilia requirit. Unde David Propheta ait: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humili respicit in caelo et in terra* (Psal. cxii, 6)?

Quod si ab ipsis angelis in celo mansuetudo exigitor, quid putatis hic, fratres, ubi superbia regnat, ut humiliemur quantum necesse est nobis? Illic quoque dictum legimus: *Quanto magnus es, humili te in omnibus* (Eccli. iii, 20)? quoniam humili spiritu, sicut Salomon ait, *suscipiet gloria* (Proverb. xxix, 23). Hoc quippe novaret beata Dei genitrix, fratres mei, quod ad humilem, et quietum, et trementem sermones suos, respiciat divina dignatio (Isai. lxvi, 2). Idcirco continuo ait ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. i, 38). Non enim superbit, sed crescit ex dono devotionis obsequium humilitatis: privilegium augetur in omnibus, sed in nullo subripit arrogantia, quoniam non intumescit ad vanam gloriam, que

^a Nec desideratur in Feu-ard., qui paulo infra pro genuerit, quod edimus ex Am., habet genuit.

^b Fundata enim erat et profundata humilitate. Ita

A beatam se praedicit mox futuram propter humilitatis indulgentiam. Ideo non discurrit quia humiliis; nam quantum mansuetus est quisque qui jussis obtinebat divinis, tantum immittis qui aut non credit, aut differt obedire quod audit. Jam humiliat se beata Virgo in cunctis, ut totam suscipiat in se gratiam largitoris; quia quod per partes aliis datum est, tota simul venit in ea gratis plenitudo. Hinc quoque ait evangelista: *Et de plenitudine ejus nos omnes accipimus* (Ioh. i, 6). Magna siquidem gratia, dilectissimi, beate Marie virginis magna promeruit prenuntiatione remuneracionis, quia multum se humiliavit inter immensa dona, inter divinitatis commercia, hodie a Domino multum exaltatur gloriosa.

Denique ideo Christus humiliis ad humilem virginem venit, quam elegit, ut de tam profunda humilitate triumphum erigeret salutis, et exaltaret eam, et cantavimus, etiam super choros angelicos. Quae nimur exaltatio privilegium est gratia. Unde cum timore et tremore perfectae dilectionis recolenda sunt haec mystica donorum sacramenta; sive ex his compensanda est hujus celebritatis gratia. Quapropter estimante, fratres, qua reverentia, quo devotionis obsequio nos tantis interesse decent sacramentis. Cui angelus ipse non sine metu sancto, nec sine honore debito, impendit reverentiam evangelizandi. Sechiebat enim angelus in beata Virgine jam speculator Dominum inesse, et futura noverat divini mysterii sacramenta. Ideo tam reverenter ait: *Ave, gratia plena* (Luc. 1). Deinde attendite quam eximium sit mox quod infert: *Dominus tecum.* Non enim dixit, Dominus sit tecum, quasi visitandi gratia; sed Dominus tecum, quia in te novo nascendi illabitur sacramento. Sieque totus vadens in salutationem proper maleditionem priorum parentum, magna detegit benedictionis oraculum. *Benedicta tu,* inquit, *inter omnes mulieres.* Quomodo igitur nunc benedicta, charissimi? Ecce de auditu gratia adimpletur, de auditu fides genita, contra fidem credidit. Be conceptu deferre honorem cognatis didicit, de ortu filiorum crevit. Aucta est castitas, integritas roborata, virginitas quoque solidata, omnes perseveraverunt virtutes. Extrémuit omnia, quae et prima mirabilis eius resulsa humilitas.

Quae cum omnia ab angelo didieisset, et repletas coelestibus fuisset, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* quam vocem mox secutus est effectus. Fit itaque gravida mox beata Virgo, que hodie assumpta est in celis cum gaudio; siisque sacrarium Spiritus sancti, et consilium Verbi. Quae ideo beata jure dicitur inter omnes mulieres, quia omnes ex ea beatificantur. Collata quippe est gratia et beatitudo in specie, ut diffunderetur in omne genus Ecclesie. Unde nec immerita beata et venerabilis hodie precellit in genere totius corporis, que ultra omnes fecundata est in specie prolis. Inter ea jure antefertur in coelestibus, que ita ditata est ac repleta prae omnibus in terris divinis munib; bus. Quapropter festivitas hodierna celebritas est omnium supernorum civium gratissima, quia ejus est assumptio de corpore, ex qua orta est veritas et justitia, que de celo prospexit, in qua omnes justificari, et exsultant sancti in gloria (Psal. lxxxiv).

Hinc, fratres, queso, jungamus vota cum supernis cibibus, et juxta modulum infirmitatis nostrae exsequamur laudibus, quoniam quod natum est ex ea, commune est omnium gaudium. Illi siquidem hodie occurruunt letantes, et suscipiunt eam gaudentes cum hymnis et laudibus; nos prosequamur cum omnib; devotione cordis, et integritate fidei. Sieque prosequamur, ut ad illa ineffabilia dona, que percepit beata Dei genitrix, quandoque pertingere valeamus. Forte igitur hodie interrogaverunt quidam sanctorum

Cod. Amelianus, sed melius ut edimus ex Feu-ardentio.

erimus prospicientes, illud de Canticis : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut rigula sumi ex aromatis myrræ et thuris?* Quoniam in ascensu ejus multa flagrabit o'namenta virtutum, incendio divini concremata amoris. *Quæ ideo quasi virgula sumi, quia ipsa est virga illa de radice Jesse, quæ hodie ascendit (Isai. xi).* Gracilis quidem et delicata ex aromatibus universi pigmentarium pulveris, sed conflagrabit incendio charitatis. Et ideo bene in modum sumi virgula ex aromatibus, quia facta est tota in holocaustum Dei, quæ odoramenta virtutum spargebant de se usque ad celos; et non qualiaquinque, sed universi pulveris pigmentarii. Unde, fratres, admiratio illa angelica non de virginitate sola, quæ fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiae venit, quia universæ virtutes in ea respergebant ex incendio divini amoris suavitatem odoris, ita ut in ea esset forma, non solum virginum, verum etiam omnium Ecclesiarum Dei. Quoniam virginitas et vita beate Mariæ speculum et species fuit totius castitatis, et integritas virtutum, decus pudicitie, et magisterium valde eximium probitatis. In qua rogo, videant virgines quid vitare, quid corrigerem, quid tenere debeant honestatis (S. Ambr., de Virg.); quia primus descendit amor, ut ita fatear, nobilitas est magistri. Habetis ergo, virgines, egregii magisterii formam; habetis exemplar in ea perfectæ virginitatis. Ecce via, qua perfgere debetis; ecce beatitudine et gloria, ad quam pervenire vultis. Illuc indesinenter votis et desiderio anhelare oportet, ut ad ea quandoque felicitate perveniat.

Verum quia de propagine carnis nulla nobilior Dei matre refusit, nulla splendor ea processit, quam splendor paternæ gloriæ ineffabiliter divinitus illuminavit; quam virtus Altissimi obumbravit, ut virgo pareret; quam divina gratia replevit, ut virgo ciperet; quam sapientia Dei Patris pre omnibus elegit, ut placaret; quæ corpus Christi sine contagione sui corporis generavit; que omnes virgultos in odorem suavitatis, ardore charitatis Domino concravunt, ut tota holocaustum Deo fieret. Cujus caro et sanguis origo fuit benignissimi Salvatoris, cuius anima templum exstitit in quo factum commercium nostræ redempcionis est. Bona siquidem domus, charissimi, in qua tota simul divinitas illabatur Verbi, in qua sapientia Dei Patris septem sibi columnas erexit, super quam omnis innititur domus, et fabricator Ecclesia. Quid dicam, fr. tres mei, quid loquar de iis rebus mysticis, in quibus omnis humanus sermo silendo et admirando, potiusquam loquendo, crescit, pro quibus angeli gratulantur et decantant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis (Luc. 1)*? Quod si tunc ad partum Virginis talia cantarunt, credimus, dilectissimi, quod hodie dignas concelebrant exequias, et suscipiunt cum gloria matrem sui Creatoris gaudentes, quam Spiritus sanctus adimplevit, quam sapientia Patris, scilicet Filius Dei, possedit.

Unde et nos gratias agamus Creatori nostro, quia donorum ejus privilegia nostra sunt munera, nostraque conspersio, quoniam fermentum quod conspersum est in specie redundavit in genere, donec fermentaretur totum (Luc. xiii). *Et factum est unus corpus, unaque conspersio nova, Christus et Ecclesia.* Unde necesse est, charissimi, festivitas quæ per fidem flagrat in mente, ut habeatur et contempletur ab omnibus in specie; sitque in nostris oculis gloria, quæ nunc tantum in cordibus resplendet credita, Tunc quippe illa nobis erit festivitas continua et sempererna, quæ nunc est in mente hodierna et diurna, ita ut sit illa jure quæ nunc flagrat in fide, anhelat in spe, ut permaneamus; pulsat in charitate, ut ingrediamur ad eam festivitatem in qua est beata et gloria Dei genitrix regina hodierna die assumpta per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto, vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO IV. DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIE QUARTUS.

Fratres dilectissimi, cum aliquid pro amore Creatoris in creatura ejus dignis laudibus predicatur, aut excolitur, ad Dei procul dubio laudem referunt, qui auctor ipsius creaturarum operis inventur. Sicut et in quadam landabili ac mirabili artificio, quidquid in eo magis laudibus celebratur, ad laudem artificis jure colligitur. Hinc quoque in Prophetæ scriptum est: *Laudate Dominum, inquit, in sanctis ejus.* Unde in primis, dilectissimi, gratiae vestre dignitatem humiliter imploro, ut veniam detis presumptioni vel imperfectioni meæ, qui cum sim tardus ingenio, indoctus eloquio, tamen ex amore ejus, quod in assumptione sanctæ Dei genitricis ac semper virginis Marie matris Domini legitur, more infantium balbutientium susurrare conatus sum, qui se sponte ad hoc ingrunt quod digne explore nequeunt. Sed ab omnipotente Domino non tam effectus quam voluntas requiritur, secundum quod scriptum est: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis (Luc. 1)*.

Est igitur sancia et venerabilis virgo Maria, mater Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, ex semine Abrahæ orta ex tribu Juda, virga de radice Jesse, clara ex stirpe David, filia Jerusalem, stella maris, ancilla Dei, regina gentium, domina regum, sponsa Domini, mater Christi, Conditoris templi, Spiritus sancti sacrarium, velut columba speciosa, pulchra ut luna, electa ut sol (Cant. iv), signaculum fidei, reparatio Eve, introitus vite, janua coeli, decus mulierum, caput virginum, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium. Multiplicatur ut cedrus Libani, florens ut palma, velut oliva fructifera in domo Dei (Psal. li). Virgo sancta, virgo prudens, et una ex numero prudentium virginum. Virgo pulcherrima, virgo pudica, corpore decorata, animo fulgida, fide perspicua, mente præclarata, amore virginitatis devota, ad obediendum parata, ministerio sibi credito cauta, in persecutione pacifica, in passione Christi mente compassa est. A prophetis Dei predicta, a philosophiæ sanctis præfata, ab archangelo salutata, a Spiritu sancto secundata, atque ab eodem obumbrata, seminis viri ignara, prole illi secunda: virgo innupta, ex Filio leta, fide concipiens, gaudio pariens; virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Quem mundus totus non capi, in suo sacro alvo haec Virgo inclusit. Qui mundum pugillo continet, eum beatissima Virgo panis involvit; et qui presentia majestatis sue in celis angelos pascit, Virgo hunc sacra sacro ubere matris aluit lacte. Et insuper ad cuius arbitrium totus orbis terrarum regitur, hujus gloriosæ Virginis uberbis conditor mundi infans nutritur. Et sub cujus defensione proteguntur reges terrarum, cum ipso virgo Maria fugit in Ægyptum. Et qui totum mundum quasi in statera suspensum tenet, in cruce confixum virgo Maria cernens aspergit. Qui presentia majestatis e celis nunquam defuit, ascendentem etiam in coelum oculis propriis contemplata esse virgo Maria creditur.

O beatissima et sanctissima omnium seminarum Maria! quam feliciter in terris remanes, que filium tuum, imo et Dominum Redemptoremque nostrum Iesum Christum in celos præmitis! Imo enim tu multo beatius et felicius celos penetrans, quia filium tuum in sua gloria sedere ad dexteram Patris non ignoras. O beatissima et gloriosa celebratio noctis hujus! in qua virgo venerabilis Maria cum laudibus celestis militie poli australi cum ineffabili triumpho excipitur; ex cujus carne Dominus Jesus Verbum caro elicitur; quam ad immortalitatis gloriam transmutatam, ac super angelos elevatam nullus fidelium ambigit!

O dilectissimi! si permetteretur scire nobis, quod tamen quia nec mens humana cordc concipit, nec

ore promit, quantus famulatus animarum sanctorum, A quæ activæ vita præferebat figuram, quanto magis quæ reverentia gaudeos sanctorum angelorum spirituum in adventum anime beatæ Marie supernis sedibus impenditur, atque excolitur, cujus Filium Dominum nostrum Jesum Christum super se elevatum, gaudentes cernunt, cernentes inherētent, inhærendo immortaliter vivunt! Agite ergo nunc gaudentes quod agitis, celebrate solemniter quod celebratis, et a cordibus vestris pigratiam mali corporis excludite. Quo excluso, animos vestros flammae sancti amoris accende, voci cantilene sensum accommodate, sapienter psallite. Et inter haec, ut inserat precibus vestris apud intercessionem beatæ Marie, quam summo cordis desiderio amantes colitis, veniam mihi obsecro, impetratis. Et quia illa mater meruit effici Cœtratoris nostri, nos mereamur habere illum apud Filium suum, imo et Dominum suum, Redemptoremque nostrum interventionem et in omnibus auxiliatricem. Et quia illa meruit virtute Altissimi obumbrari, nos mereamur ejus precibus adjuvari, ipso adjuvante qui vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO V.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIE QUINTUS.

In illo tempore. Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quedam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliqua (Luc. x).

Hom. Hild. de eadem lectione.

Congru satis et convenienter videtur a Patribus fuisse sancitum ut in memoria Dei genitricis recitetur evangelica lectio, quæ narrat illas duas mente et carne sorores Dominum Jesum exceperisse hospitio. Cui enim illa venienti in mundum templum preparavit in virtute sacramut, et perpetue virginitati dedicatum, huic istæ, ut Evangelium loquitur, temporalis habitationis preparaverunt hospitium, et pice humanitatis, ac sincerissimæ charitatis præbuerunt obsequium. Harum enim vita et actus ita fuerunt mirabiles, et fidelium recordatione celebres, ut durum vitrum figuram eas recte tenere asserant divinarum litterarum catholici et doctissimi viri. Martha igitur, quæ curam domus gerebat, et tanto talique hospitiu ea quæ necessaria erant præparabat, activæ vita figuram, ut diximus, præferebat. Per Mariam vero, quæ ad pedes Domini sedens instantissime sermonis ejus audiebat colloquia, vita perspicue premonstratur contemplativa.

Ela, fratres charissimi, videamus, si Domina nostra, imo Domini nostri et Dei genitrix et semper virgo Maria utramque vitam ad plenum exercuit, et activam laudabilem, quam opere Martha excoluit, et contemplativam optimam, quam Maria audiendo et eligendo obtinuit. Sane sicut dilectum domini Joannem a Theologum, de humanis et corporalibus actibus Domini Jesu paucia dixisse, et multa de natura divinitatis ejus, potentia, et majestate dixisse et scripsisse, teste sacratissima serie descriptionis ejus, cognoscimus; ita Domini genitricem non adeo fuisse credimus intentam activæ conversationi, quoniam se totam consultit divinæ speculatio. Non enim ad activam ultra quam matrem Domini decuit, se contraxit; sed toto mentis affectu et desiderio ad vitam se contemplativam erexit. Et ne ex toto caset vita exorsa activæ; postquam electa est a Domino, salutata ab angelo, obumbrata a Spiritu sancto, secundata Dei Verbo, exsurgens de loco, per iter devium et abrupta montium veniens ut deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zachariæ vatis ingreditur dominum, Elisabeth salutans cognovit in spiritu in sinu ejus nobile pignus depositum (Luc. i); et in his paucis, ut diximus, Martha complevit actum. Si Martha felix

^a Amel., evangelizat.

^b Amel., in alio virginali.

^c Amel., Domini permanentis.

A quæ activæ vita præferebat figuram, quanto magis istæ sanctissimæ, de quibus loquimur, persone extiterunt felices, quæ tantorum gaudiorum et munera meruerunt fieri compotes? Quæ major potest esse felicitas, quam in matre Domini, et ut illa dicam, in aula regali, in ^b aula virginali secunditas regnet et virginitas? quam cum infecunda et vetusta generat, et parit sterilitas? et cum ætas senectutis et antiquitatis nomen promeruit nova paternitatis? Et ut beatus Hieronymus jucundo sermone prosequitur, Joannes etiam ad introitum Marie exultavit et lusit, et per os Virginis audiebat verba ^c Domini, et de utero matris gestiebat in occursum ejus erupere. Quomodo, quantum, et qualiter officiis et observationi speculativæ vita cum altera Maria se subdidit, Gabrieles archangeli profiteatur assertio, sermonis evangelici prosequatur oratio, quia ad haec narranda nostræ parvitatis deficit sermo. Unum profecto scimus, quia omnis ejus vita et actio ^d intenta fuit sermoni dominico. Et sicut de altera Maria dictum est, ista optimam partem elegit (Luc. x), quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, ei idcirco promeruit, ut Dei Filius angelo ministrante ex ea corpus nostræ redēptionis suscipiat. Diximus enim eam semper intentam fuisse speculatio divine; sed oportet nos hoc ipsum catholicis verbis astruere.

Ut enim humano usu loquamur, ubi erat corpora quando angelus a Deo mittebatur ad eam? utique in domo parentum. Ubi spiritu? verum, ut diximus, in illo divinæ speculatio intuitu. Quid agebat? sine prajudicio alicujus irreprehensibiliter vivens, ut suæ professionis proprium erat, orabat, legebat. Quomodo orabat? canticum quod cecinuit tympanisans, et exclamans. Quid legebat? forsitan occurserant ei divinis Scriptura testimonia ad illud inefabile sacramentum, quod in ea gerebatur, sine dubio pertinencia. Nonne in pignore quod gerebat illud impleri posse credebat Mosaicum: *Prophetam, inquit, suscitat robis Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audiens* (Deut. xviii, 15)? Et inuitas alias in aperto cernebat prophetarum sententias, per quas tanti sacramenti atque mysterii præmonstrabatur, et ad liquidum declarabatur veritas. Nonne ad hoc pertinere videbatur illud Jacobi patriarche testimonium dicentis: *Nos auferetur sceptrum de Juda, et dux de semore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium* (Genes. xlxi, 10)? Quid manifestius quam quod ille fatebatur Balaam ariolus, ^e et falsiloquus, Dei nutu veridicus? Oriens, inquit, stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel (Num. xxiv, 17). Sciebat enim Dei genitrix in arcem divinæ contemplationis assumpta, Davidicis edicta testimoniis, processurum de se Dominum tanquam de thalamo suo sponsum (Psal. xviii, 6); et ipsius speciosum, ut idem Propheta præcini, præ filiis hominum (Psal. xliv, 3). Non enim dubitabat ad se pertinere, Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isaiam prophetam recolebat dixisse: *Ecce virgo concepit et pariet filium. Et egrædientur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (Isai. vii, 14; xi, 1). Quid apertius? quid jucundius? Et virginem pariturum, et virginem de radice Jesse processuram, nobilissimum prophetarum prouinciat.

Placuit igitur inserere huic nostræ declamatione culu sententiam psalmi octogesimi sexti, quem ad memoriam Dei genitricis et mysterium dominice Incarnationis et nativitatis beatus Ambrosius, vir per cuncta laudabilis, et verus assertor fidei catholice, adeo festive voluit expondere. Et idcirco, ut dixi, sententiam tanti pontificis pauperculo nostro operi apponere volui, ut quod dignè non potuit prosequi ingenioi nostri paupertas, sententiae tanti pontificis nobilitet et commendet auctoritas. Ait enim secun-

^d Idem, intenta fuit semper in Domino.

^e Amel.. ex se falsiloquus.

dam antiquam interpretationem jam dictus doctissimus doctor (*Orat. fun. de excessu fratris sui Satyri*) : Mater Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal. lxxvi, 5*). Matrem autem secundum divinitatem habere non potuit, quia auctor est matris. Ille homo factus est, non divina generatione, sed humana ; ^a quique homo factus est, Deus homo natus est. Sed et alibi habes : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis (Isai. ix, 6)*. In puer enim nomen aetatis, in filio est plenitudo divinitatis. Factus est ex matre, natus est ex patre ; idem tamen et natus et datus, non divisum, sed unus putes. ^b Unus enim Dei Filius et natus ex Patre, et ortus ex Virgine, distanti ordine, sed in uno concurrente nomine, sicut et praesens lectio docet, quia homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Homo utique corpore altissimus potestate. Etsi Deus et homo diversitate naturae, idem tamen non alter in utroque. Aliud ergo speciale naturae suae, aliud nobiscum commune, sed in utroque unus et in utroque perfectus. Non igitur mirandum est quia et Dominum eum et Christum fecit Deus. Fecit ergo Jesum eum utique, qui ex corpore nomen accepit ; fecit enim de quo etiam patriarcha David scribit : Mater Sion dicet : Homo et homo factus est in ea. Quasi homo ergo factus, dissimilis utique, non divinitate, sed corpore ; nec discretus a Patre, sed exceptus in munere.

Hujus innumeris gratiam, angelo nuntiante, virgo Maria Dominum concipiendo promeruit, pariendo obtinuit, et post partum virgo perpetua permanens incorrupta possedit. Ejusdem gratiae muneribus conferta, ut fas est credere, omne tempus dominica infans, pueritia, et adolescentia, cum ipso peregit, et obsequium maternae dilectionis et dulcedinis, ut vera mater humanitatis suae, filio ministravit. Quae fuerunt inter se illorum colloquia, quam dulcia, quam amabilia, quando in matre fulgebat virginitas, et ketabat secunditas ; in filio apparebat humanitas, et latebat divinitas ; quantum, vel quale illud erat Deificum ac virginalte consortium, non dico nostrum, sed omnium hominum prorsus excedit intellectum. Deinde idem ipse qui erat unigenitus Virginis matris, cum voluit apparere unicuius Dei Patris, tempore sui baptismatis hoc ipsum ostendit majestas Trinitatis ; cum Pater auditur in voce, Filius videatur in bomine, Spiritus sanctus in specie dignatus est apparet columbe (*Matt. vii, 16, 17*). Est enim hujus rei magnitudinis testis magnus pre ceteris hominibus, nomine Joannes, a Deo missus. Iste vero tantus homo, qui hacenns erat dominice incarnationis et nativitatis arcanorum mirabiliter conscientis cum sanctis, factus est minister mirabilis mysterii hujus.

Nos ergo, fratres, ut corde credamus, et ore conscientiam, tres denominatas, ^c distinctas et discretas personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius esse divinitatis, aeternitatis, ^d immensitatis, et gloriae, admoneant nos et doceant veritatis veracissima verba prophetarum, et apostolorum, et evangelistarum veridica testimonia. Et ut in tribus personis summa, simplex, aeterna, et incomprehensibilitate creditur, confiteatur, et adoretur Trinitas, invitetur nos sanctarum Scripturarum sinceritas, et catholicorum Patronum, eorum videlicet fideliis auctoritas nos docet, in quorum intellectu et scriptis fidei pietas et veritas non vacillat.

Mysterio itaque baptismatis peracto, ac praesentia totius Trinitatis consecrato, Jesu non alieno, sed suo spiritu, et propria voluntate desertum petuit, ubi ad testandum eum malignus spiritus invenit ; qui ipsis virtute superatus, angelis ministrantibus, recessit ab eo confusus (*Matt. iv, 1*). Postea a beato Joanne

A invenitur, et ob incomparabilem innocentiam ab eo Agnus mundi peccata tollens appellatur (*Joan. i, 29*). Et ne lumen divinitus accensum sub modio posneretur, exivit ad publicum ; et quia totum invenit mundum criminibus et peccatis obnoxium, omnibus medicinæ indixit remedium, in suo adventu approximare dixit regnum celorum. Et ut illud Isaiae impleretur vaticinium : *Populus qui sedebat in tenebris, vidi lucem magnam ; habitantibus in regione umbra mortis, lux orta est eis (Isai. ix, 2)* ; deinde ipso divinitatis suæ lumine præente, ex diversis humanis vita conversationibus et officiis, ut Evangelia loquuntur (*Luc. vi, 43*), discipulos vocavit, et ex illis duodecim elegit, quos apostolos vocavit, per quos humano generi salutis iter ostendit. Quorum semper conventui, nobili contubernio semper adhærebatur sanctissima Virgo ; cum illis semper habitabat, seseque dominicis conspectibus frequenter presentari gaudebat.

Eam vero optimam partem, quam soror Martha Maria in specie et figura gerebat, Dei genitrix jure vera firmissime retinebat, et cum apostolis de humanis Christi actibus, ut verius ac specialius cognoscerebat, verius ac specialiter conferebat, ut ab ea discerent qualiter arcanum tanti mysterii et ipsi crederent, et lucidus alii enarrarent, et cum opportunitate fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent. Ipsa vero ut sanctus evangelista Joannes refert (*Joan. ii, 4*), Domini miraculis non nunquam interfuit ; in iis et in ceteris divinitatis eius operibus et virtutibus, ultra quam dici potest, glorificatur. Et si Maria (*Luc. vii, 37*) quondam peccatrix, cui donando peccata erat propitius, intente audiebat verba ex ore ejus ; quanto magis haec, quæ erat mente et corpore sancta, audiebat arduentius, cuius idem ipse et Dominus erat et filius ? ceterum ut Simeonis justi prophethia impleretur dicentis : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius (Luc. ii, 35)*, tempore dominice passionis cum dilecto discipulo ante crucem stabat (*Joan. xix, 25*), et ut verbis dulcissimis utar Ambrosii (*Lib. x in Luc. c. 33*), piis oculis spectabat, non pignoris mortem, sed mundi salutem, ubi audire meruit : *Ecce filius tuus* ; et dilecto discipulo de ea dictum : *Ecce mater tua*.

Circa sepulturam vero dominicam, multo magis quam mulieres illas sanctas, quidam dicunt fuisse sollicitam ; quorum opinionem, nisi fallor, astruere videtur bonus ille Sedulius poeta evangelicus, orator facundus, scriptor catholicus. Si enim scire volumus quid Dei genitrix post resurrectionem Domini, antequam ipse caelos ascenderet, agebat, sine dubio loca Dominicæ nativitatis, passionis, sepulturae, et resurrectionis frequenter circumviens, invisere cupiebat. In eisdem etiam locis lacrymas fundebat, et sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde ad motum sibi refugium, apostolicum videlicet contubernium, ^e pasta intuitu dominicorum locorum cum gaudio remeabat. Credimus eam intersuisse gaudiis dominice ascensionis, et in die sancto Pentecostes cum sanctis apostolis perceperisse gratiam Spiritus sancti, quem constat eam plenissime habere ab ipsa conceptione Christi. Si quis vero adhuc studio pietatis vel pize curiositatis affectu indagare voluerit quid post ascensionem Domini egerit, quam sancte et juste vixerit, et cum quibus habitaverit, soli Deo cognitum esse videtur, et Gabrieli archangelo, cui ejus tota causa commissa esse prædicatur a Domino, et angelis sibi collatentibus, secundumque loquentibus, Joanni etiam dilecto Domini discipulo, qui ab ipsa cruce eam suscepit in sua sollicitudine et cura (*Joan. xix, 27*) ; videlicet ut virgo virginis deserviret, et Domini matri rependeret servitutis et dilectionis obsequium, qui eum præ ceteris sua di-

^a Quia qui, Amel.

^b Amel. : *Unus enim Deus Filius ex Patre, et ortus ex Virgine.*

^c Distinctas deest in Fou-ard.

^d Universitas et gloria, Feu-ard.

^e Pasta intuitu, Ann. Postea intuitu, Feu-ard.

lectione fecerat dignum. Beatissimo etenim Petro apostolorum principi, ceterisque apostolis non incognita fuit ejus purissima vita et actio, sancta quoque et admirabilis et prædicabilis conversatio, quippe quia cum eis semper fuit, ab ipsorum conversionis initio usque ad illum diem in quo unigenitus Dei Filius homo ex ea vera fide genitus, a laboribus hujus vite illam voluit eripere, et ad gloriam sibi a seculis preparatam, ut creditur et prædicatur, super choros angelorum dignatus est elevere.

Hujus diei laetitiam hodie totus mundus concelebrat. Hodie namque ob venerationem assumptionis Dei genitricis angeli laetantur, virgines gratulantur, patriarchæ et prophetae Deo laudes referunt, quia præsagia et vaticinia sua per eamdem Dei genitricem completa esse cognoscunt. Apostoli et evangelistæ tripudiant, cum in carne Deum venisse, et de Virgine natum vera fide scriptis suis pronuntiant. Gloriantur etiam hodie matres, genitrici Dei sui solemnia dignis laudibus celebrantes. Gaudent summi pontifices, confessores, et doctores catholici, dum per eorum doctrinam fidèles Dei credunt, et colunt Dei Filium suscepisse quod non erat, et non amisisse quod erat. Et genitricem Dei prædicant virginem peperisse, et post partum virginem exstisset. Dicam aliquid plus, si audeo, dicam fidelis præsumptione, dicam pia temeritate. Totus mundus hodie condigna jubilatione ketatur et gaudet; Tartarus tantummodo ululat, fremit, et submurmurat, quoniam gaudium et laetitia hujus diei claustris infernalibus inclusis aliquod remedium et refrigerium præstat. Non audient, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine.

De cuius Virginis meritis et gloriissima hodierna ejus assumptione divina legi interpres, sanctus videlicet Hieronymus, et alii egregii doctores, tanta ac talia potuerunt et voluerunt dicere, quibus nos nec

Ab ipso conversationis initio, Amel.

b Non videmus quid in bujus periodi sententia iure reprehendi possit; quæ si accipiatur de animabus justis, quæ in purgatorio torquentur quoque leviorum criminum sordes eluerint, tota nostro iudicio pia est et catholica; pium enim est, nec improbabile, cogitare in solemniis Mariæ festivitatibus predictarum fideliū animarum tormenta levari, immo etiam interdum finiri precibus et meritis tantæ Virginis. Quid autem huic loco prohibet hanc interpretationem adhiberi? Certe non locus purgatori, quod in inferioribus terra partibus situm, adeoque in claustris infernalibus collocatum creditur. Non tormenta, quæ a ministris tartareis indigi dicuntur; neque enim animæ purgande ab aliis quam a demônibus torquentur. Non denique captivorum nomen, quo uititur auctor sermonis; animæ enim quæ demôniorum potestati quantum ad poenam subjectæ sunt, in carcere inferiori ad tempus detentæ, merito illorum captivæ dici possunt.

Verumtamen fac loquatur de damnatis, qui hoc nomine communiter intelliguntur, æternis suppliciis ob gravis scelera addictis. Quid? Adeone absconserit et inauditum aliquod vel his levamen suarum positionum contingere posse, quæ tamen non ideo sint aliquando finem habiture? At vero divo Augustino non ita incommoda visa est similis de damnatis cogitatio, quamvis ipse non probaverit. En eius verba in Enchiridio, cap. 112, tractantis versum illum psalmi LXXXVII: *Non obliviscetur misericordia Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas.* De his sine scrupulo intelliguntur qui vasa misericordiae nuncupantur, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo misericerte liberantur; aut si hoc ad omnes (scilicet etiam ad damnatos) existimat pertinent, non ideo necesse est ut damnationem finiri opinentur corum d: quibus dictum est: *Ibunt hi in supplicium ater-*

Audemus aliquid nec debemus adjicere. Et qui ad plenum vult cognoscere gloriam solemnitatis hodiernæ, seruonem, quem supradictus pater Hieronymus edidit ad sanctam Paulam et ad Eustochium filiam ejus virginem, et ad ceteras virgines, non solum presentes, sed etiam ad superventuras transmisit, legat. In eodem vero sermone non solum possunt addiscere virgines feminæ, sed etiam masculi, quomodo debeant virginum virginis virginitaliter ac viriliter militare. Hodie, reverentissimi patres, et charissimi fratres, domini et seniores, matres et sorores, celebremus devotissime beatæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ celeberrimum festum, ut per ejus singulare meritum, et orationes omnium sauctorum, sanctarumque virginum, pium mereamur habere atque propitiū Virginis lumen, et virginum sponsum, Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO VI.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIE SEXTUS.

Hodie, fratres charissimi, gloria et perpetua virgo Maria, cœlos ascendit: hodie de terris et de presenti seculo nequam erepta, secura de inaccessibili gloria ad cœli pervenit palatia. Hac, inquam, die meruit exaltari super choros angelorum, quoniam, ut credimus, in dextera Patris sublevata in cœlestis regni solio post Christum glorirosa resedit, quæ merito Domini templum, Spiritus sancti sacramentum et appellatur et creditur. Hæc est illa virgo glorirosa, cujus ineffabile meritum longe ante et figuris legalibus et prophetarum oraculis prænuntiabatur. Nam quid aliud præsignabat virga illa Aaron, quæ in tabernaculo Domini posita, tertia die inventa est germinasse, jamque dilatatis foliis eruperant flores, qui turgentibus gemmis in amigdalas deformati sunt? Virga ista sacra est virgo Maria, quæ neque saluata, neque radicata; sine ullo cultore, tertio die, hoc est,

C

num... Sed poenas damnatorum certis temporibus intervallis existimant; si hoc eis placet, aliquatenus mitigari; etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est, ipsa damnatio, ut in ira sua non tam contineat miserationes suas; non æterni supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus, quia nec psalmus ait, *ad finem iram suam, vel post iram suam, sed in ira sua...* Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communis, quamlibet homines de varietate personarum, de dolorum relevatione, vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur. ,

Congruunt etiam in hanc sententiam quæ Prudentius cecinit in hymno 5, indicans per festum paschale non nihil quietis et relaxationis damnatis inculgeri:

D *Sunt et spiritibus sepe nocantibus
Ponarum celebres sub Styge ferim.
Illa nocte, sacer qua redit Deus
Stagnis ad superos ex Acherontis,
Marcoen supplicia Taurata mitibus;
Exsultatque sibi carceris otio
Umbrasque populus liber ab ignibus,
Nec servante solito flumina sulphure.*

Quis ergo miretur quæ Prudentius, poeta Christianus et piissimus, de paschali festivitate dixit, suisse ab hujus sermonis auctore pia quadam (ut ipse loquitur) temeritate translata ad testum Assumptionis beatoe Virginis Mariæ? Nulla itaque in sententia erroris species, quæcumque illi interpretatio adhibeat. Quanquam priorem nos ab omni doctrine novitatem remotiorem, nec minus auctoris menti consonam judicamus.

c Auctor sermonis de Assumptione, ad Paulam et Eustochium, falso putatus Hieronymus.

d *In cœlis regni solio, edebat Feu-ard.*

Tertio saeculi tempore, sancto Spiritu est secundata, non obisque Deum genuit et hominem Christum : cuius ultra substantia, bene per amigdalam est figurata. Amigdala namque ex carne, osse et nucleo, constat ; sic Deus et homo in una persona est Jesus Christus. Et in amigdala quidem caro exterior amarissima est ; nucleus vero interior vescentes grata dulcedine reficit. Sic et Christus per humanitatem passiois amaritudinem sensit, per divinitatem impassibilis mansit.

De hac virga Isaías propheta prædixerat : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Iai. xi. 1*). Virgo namque Maria, cuius hodie ad cœlos ascensionem colimus, de stirpe David regis, qui filius fuit Jesse, nobilissima prosapia, et regali stemmate exorta processit ; et flos de radice ejus ascendet, quia verus ille Nazareus, et flos munditiae Christus per eam, ex ea incarnatus, in mundum venit. Hic est ille flos sacerrimus, qui de scipo in epithalamium Ecclesie loquitur : *Ego flos campi, et lily convallium* (*Cant. ii. 1*). Flos enim campi, qui non aratus, nec seritus fuit, quia de Virgine sine virili ministerio natus apparuit. Lily autem convallium exstitit, quia ad insinuandum humilitatis exemplum, pauperes parentes, de quibus nascetur, elegit : dignatus pro nobis ipse pauper fieri, ut nos sua potestate divitiarum et divinitatis suæ donaret esse participes. Beatus quoque Ezechiel propheta hujus sacræ Virginis se consciuum fuisse propheticò spiritu testatur licens : *Vidi portam in domo Domini clausam, et dixit ad me angelus : Porta hæc, quam rides, non aperietur. Princeps in ea sedebit, ut comedat panem coram Domino* (*Ezech. xliv. 2, 3*). Porta namque in domo Domini clausa, virgo est Maria semper intacta. Vir non transiet per eam, quia Joseph non cognovit eam. Clausa fuit in æternum, quia Maria virgo est ante partum, virgo in parte, et virgo post partum. Princeps in ea sedebit, ut comedet panem coram Domino, qui Dei Filius in utero illius novem mensium spatio moratus est, indeque egredens, et tanquam sponsus de thalamo suo, ut comedet panem coram Domino, juxta quod ipse dixit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, Patris* (*Joan. iv. 34*).

Tot igitur et tantis hæc sancta virgo et mater Domini prophetarum prænuntiata vaticinis, hodie ad cœlos assunta est, meritorum fructus, et laborum præmia percepta. Ascendens namque Dei Filii in cœlum, matrem castissimam ad tempus ad hoc dimisit in terris, ut ei locum immortalitatis in æthereis mansionibus prepararet, ut cum eo in perpetuum regnaret. Et hæc est præsentis diei solemnitas, in

Neque in hoc loco quidquam reperimus quod erro-
neum aut impium fuerit pronuntiare, si tempora illa
attendamus quibus auctor sermonis hæc scribebat
circa corporis Virginie assumptionem. Primum enim
tota hujus periodi sententia (sicut alia quanplurima
hujus sermonis) nostro judicio desumpta est ex ser-
mone de Assumptione beatae Mariæ virginis, quem
non semel citat hic auctor, falso credens esse divi
Hieronymi; sed qui ab eruditis putatur esse aucto-
ris eujusdam Graeci, qui parum Latine sciret; sive
sit Sophronius fere sancto Hieronymo suppar, si-
ve aliis, ut placet aliquibus, plus uno saeculo pos-
terior. Deinde etiamsi sermo iste saeculo septimo
conscriptus fuisset, potuit nostro iudicio idipsum
sine ulla nota ab illius auctore affirmari : nempe
assumptionem corporis Virginie in cœlum, quanquam
ab aliquibus pia devotione crederetur, rem vero tunc
temporis fuisse nec satis exploratam, neque inter
illas veritates recensitam adeo apertas, de quibus
nefas esset ullo pacto dubitare. Nondum enim illis
temporibus hoc festum ab universa Ecclesia cele-
brabatur, nondum omnium doctorum consensus in
prædictam veritatem conspiraverat, quemadmodum
hodierna die fieri videmus, quando universa catbo-

Aqua gloriosa et felix ad coelestem *assumptam* est tha-
lamum. Quæ profecto ejus festivitas tanto excellen-
tior est omnium sanctorum festivitatibus, et incom-
parabiliter admiranda, quanto et ipsa Dei genitrix
cæteris sanctis incomparabilis, magisque habetur
mirabilis. Unde et ex persona supernorum civium in
ejus ascensione admirans Spiritus sanctus ait in
Canticis cantorum : *Quæ est ista quæ ascendit per
desertum, sicut virgula sumi* (*Cant. iii. 6*) ? De deserto
enim præsentis saeculi haec virgo hodie ascendit ;
atque ideo mirabantur animæ electorum, quænam
hæc esset, quæ virtutibus meritorum etiam dignita-
tem supervincere angelorum. Quasi virgula autem
sumi ex aromatibus ascendit, quia delicata, et divinis
extenuata disciplinis, multis virtutum erat repleta
odoribus, per quas quotidie se in holocaustum Do-
mino concremabat incendio pii amoris et desiderio
charitatis.

Nec diu hæc sancta sacratissima Virgo post Do-
mini ascensionem in terris potuit remanere, quam
desiderabant angeli, colum et ipsum de ejus
ascensione quærebatur ; atque ideo Spiritus sanctus
invitabat dicens : *Veni, columba mea, immaculata
mea ; jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit* (*Cant. ii. 10, 11*). Quodque ardissime vellet as-
sumere, ostendit crebra ingeminatione inquiens :
Veni de Libano, sponsa mea ; veni de Libano, veni (*Cant. iv. 8*). Et pulchre de Libano venire jubetur,
hoc est, de candidatione ; Libanus enim *candidatio*
interpretatur. Et hæc virgo sancta candidata erat
virtutibus, et dealbata Spiritus sancti munieribus,
columbæ lacteæ servans simplicitatem, et virginitatis
immaculatum candorem ; atque ideo sola digna
fuit, per quam et ex qua Dei filius, ad reconcilia-
tionem humani generis veniens, carnem assumeret.
Unde et ei soli angelica illa salutatio conveniens fuit :
Ave, Maria, gratia plena (*Luc. 1, 28*). Cæteris enim
electis ex parte gratia datur, huic vero Virginis tota
se infudit plenitudo gratiæ. Quod considerans pro-
pheta David ait : *Descendet, sicut pluria in vellus* (*Psal. lxxi. 6*). Vellus enim virginitatem præsignat.
Sicut enim vellus cum sit de corpore, corporis non
subjacet passioni ; ita virginitas cum sit in carne,
vitia carnis ignorat.

Descendit ergo sicut pluvia in vellus, quia coelestis
imber, hoc est unda divinitatis virgineo velleri pla-
cido se infudit illapsu, quando Verbum caro factum
est, et habitavit in nobis (*Joan. 1, 14*). Nec sane
illud omittere debemus, quod multi pietatis studio
libentissime amplectuntur : eam hodierno die a filio
suo Domino Iesu Christo ad cœli corporaliter suble-
vata palatia. a Quod licet pium sit credere, a nobis

lica Ecclesia Virginem in corpore assumptam toto
terrarium orbe concelebrat, et omnium theologorum
suffragia ita consentiunt, ut qui aliter sentire aude-
ret, inpietatis et temeritatis notam merito incurre-
ret.

D Quod vero saeculo septimo, mirandum non sit, quod
auctor sermonis cum hujusmodi dubitatione et cau-
tione de assumptione corporis Virginie locutus fuerit,
exemplo comprobamus alterius sermonis in ejusdem
festi celebritate conscripti, eodemque saeculo, aut
forte posteriori, ut colligitur ex auctoritate sancti
Isidori, quem proprio nomine laudat. Fuerat hic
sermo cum aliis ejusdem notæ sancto Augustino
aliquomodo attributus, postea vero ut spurius rejectus
est. Quisquis tamen fuerit illius auctor, de Virginis
assumptione ita loquitur, num. 2 :

EHoc idcirco dicimus, fratres, quia sicut jam in
consuetudinem Christi suscepit Ecclesia, hodierna
die ad cœlos assunta fuisse traditur Virgo Maria.
Sed quo ordine hinc ad superna transierit regna,
nulla catholica narrat historia. Non solum autem
respire apocrypha, verum etiam ignorare dicitur
haec eadem Dei Ecclesia. Et quidem sunt nonnulla
sine auctoris nomine de ejus assumptione scripta,

tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere.

Verum enim hoc sit, necne, nos tamen credere convenit eam filio suo in cœlestibus conregnare, nosque post Deum in omni veritate confirmare, meritis et precibus præmunire. Si autem vultis scire quid post Domini ascensionem egerit, hoc unum certum est, quia virgo sancta corpore et mente permanset, conversata cum apostolis, donec ipsi per diversas regiones prædicaturi sunt missi. Et licet omnes apostoli eam venerarentur, eique officio dilectionis famularentur, plus tamen et specialius cœteris Joannes usque ad finem vitæ dilexit et coluit; quique sibi commissam Virginem virgini accepit in suam, et sic ei, quasi filius matri, assistit et obsecutus est, recordans illud quod a benigno magistro in cruce audiebat: *Mulier, ecce filius tuus (Joan. xix, 26).*

Hujus igitur sacrosanctæ Virginis et matris Domini hodiernam festivitatem spirituallæ letitia celebremus, quæ, sicut Evangelium loquitur, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc. i, 42*). Quod quamvis historialiter de illa Maria sorore Lazarī, ardentissima dilectrice Christi, dictum intelligitur, specialiter tamen beatæ Dei genitrici convenire creditur, quæ optimam partem elegit, quia ei singulariter datum est matrem esse, et sigillum castitatis non perdere; prolem suscipere, et incorrupta virginitate gaudere. Nam cum sint in Ecclesia tres ordinis fideliū, conjugatorum videlicet, continentium, atque virginum, hac sola superexcellenti et incomparabili dono mater potuit esse virgo, servare pudorem, et intactis suis visceribus edere Deum et hominem; unde merito eam Dei constemur genitricem. Jam ergo ad eam, de qua loquimur, preces et vota vertamus, opem intercessionis ejus poscamus singuli, poscamus omnes. Oremus ut sit a protectrix in prosperis, submoveat noxiam, suggerat profutura, admittat preces supplicantium intra sacrarium divinitatis, nobisque impetrat consortium suæ beatitudinis, favente et adjuvante Domino nostro, filio ejus Iesu Christo, cui est cum Deo patre imperium et immortalitas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO VII.

IN ^b ASSUMPTIONE BEATÆ MARIAE SEPTIMUS.

Celebritas hodierni diei nos admonet, ut in laude virginis Mariæ immorari debeamus, quia revera indignum est ut in die tantæ Dei Genitricis laudes Domini nostri sileat lingua carnis. In hac siquidem die competitor beata virgo Maria sponso illi cœlesti libere proclamat: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me (Psal. LXXII, 24)*. Hodie, inquam, et ipsa congrue ab sponso audit: *Veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hiems transiit, pluvia abiit (Cant. II, 10, 11)*. Ipsaque jam beata respondit: *Flores visi sunt in terra nostra: tempus sectionis advenit (Ibid., 12)*. *Anima mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo (Psal. XXXIV, 9)*: Et: *In Domino laudabitur anima mea, audiunt mansueti et lactentur (Psal. XXXIII, 3)*; Et:

quæ, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minime permittantur. Hinc sane pulsantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra inventur, nec assumptionis ejus cum carne (ut in Apocrypha legitur) in catholica historia reperitur.....

¶ Sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quidpiam aperite dixisse. Nam illum Evangelii versiculum, quem Simeon dixit ad Domini Matrem: *Et tuum ipsis animam pertransibit gladius*, beate recordationis Ambrosius cum tractaret, ait: Nec historia nec litteræ docent Mariam gladio vitam finisse. Hinc et Isidorus: *Incertum est, inquit, per hoc dictum utrum gladium spiritus, an gladium dixerit persecutionis..... Restat ergo ut homo*

A Credo videre bona Domini in terra viventium (Psal. xxvi, 13).

Videamus itaque, fratres, quæ sit hæc Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est; quæ tam speciosa, quam Deus elegit sponsam; quæ tam casta, ut possit esse virgo post partum. Hæc est, inquam, Dei templum, fons ille signatus, ei porta Dei clausa. In eam itaque sanctus descendit Spiritus: hanc virtus obumbravit Altissimi, et ex ea potens virtutum Christus egreditur (*Luc. I, 38*). Hæc est immaculata coitu, secunda partu, virgo castitatem; hæc concepit virgo, non ex viro, sed de Spiritu sancto; hæc peperit, non dolore, sed gudio; hæc nutritivit angelorum et hominum cibum.

Felix certe et omni laude dignissima, quæ sine humano semine cœlestem sæculo protulit panem, et mundi genuit Salvatorem! O fidei pactum! O fidei secretum! Promittit angelus virginis filium nascitum: virgo gaudet, cupitque effici mater. Vere magnum et salutare mysterium; quæ sic peperit, ut in mater et virgo possit dici. Lacta, Maria, Creatorem tuum, lacta panem cœli, lacta premium mundi. Præbe lambenti mamillam, ut ille pro te præbeat percutienti maxillam. Tu illi ut mater temporalem ministra substantiam, et ipse nobis et tibi vitam tribuat sempiternam. Lacta ergo eum qui fecit te, qui talen fecit te, ut ipse fleret in te. Lacta eum qui fructum fecunditatis tibi dedit conceptus, et decus virginitatis non abstulit natus.

Videte, fratres, quam digne Domino consecrata virginitas famulatur, quam sic amare dignatur, ut una eademque femina, et virgo dici possit, et mater; quam præferenda gratia, et cunctis sæculis prædicanda, quæ sola et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit. Electa est quæ auctorem suum ederet; denique viro inexperta se paritutram obstupuit, quæ thalamum ignoravit. O quam beata mater ista, quæ sine contaminatione concepit, et sine dolore peperit medicinam! Felix, inquam, mater, per quam generis nostri vita est reparata, quæ de cœlo suscepit prolem, et mundi genuit Salvatorem. Hæc enim mirabilis et ineffabilis modo omnium rerum et suum peperit Salvatorem. Electa quippe est virgo integra, cui secunditas matris daretur; et facta est secunda mater, in qua virginis integratas servaretur. Si enim cogitemus virginem, quæ sine concupiscentia carnis concepit carnem, et si sine viro concepit virum, et si voluerimus querere rationem, in ipsa nostra inquisitione subcumbimus, cum scriptum sit: *Generationem ejus quis enarrabit (Isai. LIII, 8)*? Nam et ipsa beata Maria, cuius hodie natilitia celebramus, quem credendo peperit, credendo conceperat.

D Denique cum dominicum illi partum angelus nuntiasset, ac illa quippe castitatis conscientia divina dispensationis gratia, angelo respondisse fertur: *Quomodo fit istud, quoniam virum non cognosco (Luc. I, 34)*? angelus ei placido vultu respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Alixim obumbrabit tibi (Ibid., 35)*. Non expavescas partum, virgo, nec metuas, neque multum sis inexperta formidine. Tantum crede, et concepisti; ama, et peperisti. Spir-

mendaciter non singat apertum, quod Deus voluit mānere occultum. Vera autem de ejus assumptione sententia hæc esse probatur, ut, secundum Apostolum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantias, assumptionam super angelos credamus.

Hæc dicta sunt, ut auctoris dictum ab acerbiori censura defendi posse, ratione et exemplo ostendere mus.

* Amol., protectrix in adversis, prorectrix in prosperis, submoveat, etc.

^b Assumptione, ut habet Amel., non, ut Feu-ard., in Nativitate, de qua nec verbum in toto sermone.

Quæ sequuntur verba desiderantur in Feu-ard., ad sententia perfectionem.

tus enim sanctus superveniet in te, proinde non est quod metuas; et virtus Altissimi obumbrabit tibi, inde est quod gaudeas. Tunc enim sequeretur dolor partum, si praecederet libido conceptum; nunc vero Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, refrigerabit te sub sua umbra Spiritus idem sanctus, ne in fervore concupiscentiae torreas. Ideoquod nasceretur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. His Maria auditis, jam fidei seminae gravida, prius et Christum mente quam ventre coacipiens, respondit angelo: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc. 1, 38*). Nec mora, ut assensus Virginis panditur, sponsus immaculatum corpus ingreditur, et qui toto mundo non capit, pueræ innuptæ membris infunditur.

Nam audite, fratres, quomodo porta, per quam ingressus est Dominus, semper fuit clausa, quam Ezechiel propheta in visione divina resperxit: *Convertis, me, inquit, ad viam portarum sanctuariorum exteriorum, quae respiciebat ad orientem; et haec erat clausa.* Et dixit Dominus ad me: *Porta haec quam vides, clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quia Dominus Deus Israel ingredietur et egredietur per eam, et semper erit clausa* (*Ezech. XLIV, 1, 2*).^c Ecce ubi evidenter ostendit nobis quia sancta Maria semper virgo fuit, virgo permanxit: virgo ante partum, virgo in parte, et virgo post partum. Concepit, et virgin est; generat, et virgo est; lactat, et virgo est.^d Mater quippe esse potuit virgo Maria, mulier esse non potuit. Magnum mysterium! magnum donum! magna gratia! Ancilla peperit Dominum, creatura peperit Creatorem. Visceribus fecundis, et genitalibus integris, virgo mater Dominum effudit in terris. Concipiens virgo, pariens virgo, permanens virgo; virgo gravida, virgo secunda, virgo perpetua. Quid miraris, o homo? Deum sic nasci oportuit, quando dignatus est esse homo. Interea toto affectu ad auxilium beatæ Virginis nos conferamus, omnes unanimes quis omni nisi patrocinia imploreraus. Et dum nos eam supplici obsequio frequentamus in terra, ipsa nos sedula prece commendare dignatur in celis apud Dominum Deum nostrum, qui in Trinitate vivit et regnat Deus per infinita saecula saeculorum. Amen.

EXJUSDEM SERMO VIII.

IN LAUDEM BEATAE VIRGINIS MARIE.

Scientes, fratres dilectissimi, auctori nostro multum nos debere conditos, plus redemptos, redempcionis nostra commercium veneremur, et illum sacratissimum eternum, ex quo hemini Deus unitus apparuit, eti non honorificamus meritis, salles celebremus obsequiis;^e scientes erroris nostri tenebras, partim ejus fulgore resparsas, quia quod protoplastorum negligientia primæ matris contumax tam arrogantia quam gula perdiderat, hujus sacræ Virginis partus non solum restauravit diruta, sed etiam trivit semperrena. Et idcirco cunctis præconiis venremur audiircem, quæ dum auctorem suum concepit, excelsum nobis redemptorem ostendit in sæculo. Et quia ad vicem matris ejus, matris nostræ Ecclesia forma constituitur, ipsa eam inter procellas seculi frementes aspiciat, ipsa inter cursus mundiales con-

^a *Male Feu-ard, nec est quod gaudeas.*

^b *Feu-ard., in furore concupiscentiae terreas.* Amel., in furore... tenaces. Nos vero non dubitavimus emendare terreas ex certa conjectura.

^c *Feu-ard.: Que ubi evidenter, etc.*

^d *Edimus ex Amelian., cum Feu-ard. edidisset: Mater quippe esse potuit beata Maria, mulier esse potuit.*

^e *Permanens virgo. Dearant haec verba in Feu-ard.* Deinde Amel. pro secunda scribit *fata.*

^f *Hic sermo reperitur ad litteram inter eos qui aliquando sancto Hieronymo tribuebantur, postea inter spurious editus.*

A *tinua oratione confoveat. Neque enim dubium est illam quæ meruit pro liberandis dare præmium, posse liberatis impartiri suffragium. Nostra inter haec oratio jugis ad Deum dirigatur, ut qui pro honore nominis sui viscera illa quæ sanctificavit intravit, nosque sedulitate debita veneramur, proposit nobis ad remedium, quod per eam se nobis dedit in præmium.*

B Merito beata Maria in singulari a nobis præcomio attollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Merito inter feminas tunc etiam letabatur, cum singularem medicinam pudico alvo gestabat. Sentiebat quidem pondera veniris, quæ pudorem non perdidere castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla noverat viri contagia. O bene secunda virginitas, quæ novo inaudito genere, et mater dici possit et virgo! Peperit eum a quo excepit, portavit a quo creata exstitit; siquidem ipse est auctor Mariæ, qui est ortus ex Maria. Sic inenarrabili modo beata Maria et mater virgo est, dum fructus peregrinationis exstitit, et integratis dispendum non incurrit. Apud quam ita coelestis providentia negotiis ipsius conditionem dispositus, ut magis obedientiam exhiberet in mandato, cum honorificentiam agnosceret ex angelo. Neque enim fidem derogat nuntii, quæ dignitatem intelligit, nuntiante sibi angelo et dicente: *Spiritus enim sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc. 1, 35*). Credidit admonita quod audivit, meruit sanctificata quod credidit.

C Denique tantum se ad coeli fastigium sublevavit, ut Verbum in principio apud Deum, id est, Dei Filium de summa arce susciperet. Cumque semper mysticum divinitatis arcana carni nostræ fragilitate commiseret, latuit in homine divinitas, ut divinitati humanitas non periret; et sub velamento assumpte carnis absconditus, pretiosius redemit perditos, quam si defendisset ab imminente morte captivos. Immensa pietas, et supra quam fieri possit prædicanda majestas! Viscera pueræ aula sancti Spiritus repleta, innupta Virginis vulva Verbi semine crescente tegebat. Replebantur, inquam, arcana viscerum, sacri Spiritus fecunditate repleta; et erat spes in partu, quia non erat volupias in coitu. Stupebat speciosissima genitrix,^g et apud secretacita mirabatur; urebatur astu cogitationis ambiguæ, et percussa rerum novitate obstupescerat mirabiliter; sciens enim suam integritatem, mirabatur ventris ubertatem.

D O felix Maria! O genitrix gloria! O puerpera sublimis, cuius visceribus auctor coeli terraque committitur! O felicia oseula labis impressa laciantis, cum inter crepundia reptantis infantis, ut pole verus ex te filius tibi matri alluderet, cum ex Patre Deum non imperaret. Nam auctorem tuum ipsa concipiens edidisti in tempore puberum, quem habueras ante tempora conditorem. O felix puerperum! delectabile angelis, expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis; qui post multas assumptæ carnis injurias, et ad ultimum verberatus flagris, potatus felle, patibulo affixus, ut te veram

^g *Scientes deest in Feu-ard.*

^h *Prima mater, Amel.*

ⁱ *Illa, quæ meruit.... possit liberatus, etc., Feu-ard.*

^j *Singulari deest in Feu-ard.*

^k *Amelian. scribit: Tantum se dejocit fastigium, ut verbum, etc.*

^l *Feu-ard., carnis nostræ fragilitatemque colunissit.*

^m *Apud Feu-ard. solum legitur: Et apud se tacita, rerum novitate obstupescerat mirabiliter.*

ⁿ *Edebat Feu-ard. inter crebra indicia.*

^o *Pro verberatus habet Feu-ard. urebatur.*

matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstravit.

Tu vero, beata gloriosaque Maria, inter ista et propter ista landabilis; quæ sic secunditatis ineruisti donum, virginitatis quod non amisisti suffragium. Tu es enim benedicta inter mulieres, tu præclara cunctis virginum catervis, tu sequeris Agnum quocunque perrexerit. Tu virgineos choros, et ab incentivis carnis illecebris alienos, per albentia lilia rosasque vernantes ad fontem^a perennis vite potando invitata. Tu in illarum beatarum virtutum felicissima regione primi ordinis dignitatem adepta, plantis roscidis oberrans, inter paradisi amoenitatis gramineos choros tenero poplite pergens, felicite palma violas immarcessibiles carpis. Tu concinentibus sine fine conjuncta choris, angelis archangelisque sociata, indefessa voce *Sanctus* clamitare non desinis. Sed quid dicam, pauper ingenio, cum de te quidquid dixerim, minus profecto est quam dignitas tua meretur? Si matrem gentium te vocem, præcellis; si formam Dei appellem, digna existis; si nutricem cœlestis panis te vocitem, lactis dulcedine repleas.

Lacta ergo, mater, cibum nostrum, lacta panem cœlestem, lacta cibum angelorum, lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te; qui tibi munus secunditatis attulit conceptus, et decus virginitatis non abstulit natus; qui priusquam nasceretur, te matrem creavit, ex qua nasceretur, ut illinc procederet tanquam sponsus de thalamo suo, quo mortalibus oculis possit videri. Quanta fuit hæc dignatio, ut crearetur ex te, quam creavit; portaretur manibus, quas formavit; suggesteret tua ubera, qua ipse implevit? Quas itaque laudes charitati Dei dicamus? quas gratias ei agamus? qui nos ita dilexit, ut propter nos homo fieret, b ut uteam nostras conditionis intraret, ut contumelias nati infantis subiret, atque cuncta humanitas necessaria sustineret?

Agentes ergo quantum sufficiens, creatori nostro gratias, c natalem pretiosissimæ illius genitricis cum gaudio celebremus. Dignum namque est cum summa ei gratulatione famulari, per quam virginitatis insignia pullularunt. Siquidem ipsa virgo exstitit ante coniugium, virgo in coniugio; virgo pregnans, virgo pariens, virgo lactans. Et data marito, et mater non de marito. Sanctæ quippe matris omnipotens filius nullo modo natus virginitatem abstulit, quam nasciturus elegit. Exsultent ergo virgines, virgo peperit Christum; nihil ex eo quod noverat putent exterminatum, quia mansit virgo post partum. Exsultent viduae natalem Virginis celebrantes, Anna vidua Virginem matrem agnovit. Exsultent conjugæ solemnia beatæ matris frequentantes. Elisabeth conjugata Virginem matrem Domini est salutata. Exsultent pueri, continentiam voventes pueru; ipse vero integritatem continentiae pueritiae consecravit, qui suæ matri secunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Ipsi honor, gloria et potestas per immortalia sœcula sœculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO IX.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIE OCTAVUS.

d Merito itaque sancta et venerabilis Dei genitrix, virgo Maria, cœlorum regina, mundi domina, singulare nobis præconie extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Denique tantum se ad cœli fastigium sublevavit, ut Verbum in principio apud Deum, de summa cœli arce susciperet. O felix Maria, et omni laude dignissima! O genitrix gloriosa! O sublimis puerpera! cuius visceribus auctor cœli terræque committitur. Hæc est immaculata coitu,

^a Per hujus int̄e edebat Feu-ardentius.

^b Quam male Feu-ardentius: ut veterem nostras conditionis initiatet.

^c Hoc loco Amel. Cod. habet (sicut et infra) *natalem*, vel *conceptionem*, scilicet activam beatæ Mariæ virginitatem, quæ totius sermonis subjectum est.

A secunda partu, virgo lactans Dominum cœli, angelorum cibum et hominum nutritens. O felicia oscula lactantis labris impressa! O felix puerperum, lactabile angelis, optabile sanctis, necessarium perditis congruum proligatis! Quas ergo laudes, o Dominus totius mundi salvatio, fragilitas generis humani tibi persolvet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? O quam venerandum, et præ ceteris honorandum hunc diem! in quo Dei genitrix virgo Maria de mundo migravit ad Christum, quæ dolori non subiacuit post partum, non labori post transitum. O admirabilem thalamum, de quo speciosus forma prodit sponsus! O lux gentium, spes fidelium, tabernaculum glorie, templum cœlestis, cui apostoli sacram reddunt obsequium, ad cuius angeli canunt triumphum, quam Christus amplexatur! O beata Maria! gaudens ingredere paradisum, quæ de terris ad cœlestem vitam translata es ab angelis, et inter choros virginum, sicut sol fulgens, suscepisti principatum super archangelos in cœlo. O excellentissima! quam hodie paradisus exceptit gaudens, quam cherubim et seraphim cum laudibus prosequuntur, quam martyres candidati beatificant, quam sanctorum stolatus concelebrat numerus, cui omnium sanctorum virginum cum suis palmis victricibus exultans occurrat exercitus! O clarissima inter virgines, quæ cum laudibus et exsequis hodie exaltata, et magno cum triumpho in cœlos gloriissime evecta! Accipe itaque, piissima ac misericordissima, quasunque exites meritis tuis impares gratiarum actiones; et cum vota suscepitis, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et retribue nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile quod male gessimus, accipe quod offerimus, impetrat quod rogamus: quia potentiores ad placandam iram judicis invenire non possumus, quam te quæ meruisti mater existere ejusdem redemptoris et judicis. Succurre ergo, genitrix Christi piissima, miseris ad te confugientibus, adjuva et relieve omnes qui in te confidunt. Ora pro totius mundi piaculis, interveni pro clero, intercede pro monachorum choro, ora pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuam clementiam, quicunque invocant tuum nomen gloriosum. Sit tibi compassio super afflictionem captivorum, sit pius affectus super cœlorum peregrinos. Et quia te sine fine in cœlis gaudentem atque letantem aspicis, quatenus ut preces nostras quas tibi cum fletibus fundimus ad Deum ipsa admittas, eumque ut proprium filium pro nobis interpelles, ut cum ille in fine sæculi iudex advenerit, cum ipso et nos appareamus in gloria; qui cum Patre et Spiritu sancio vivit et regnat Deus per omnia sæcula sœculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO X.

IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIE.

In illo tempore, postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt D Dominum Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Luc.* 11, 22).

Series hujus lectionis cum multa alia, tum præcipue virtutem commendat humilitatis, quæ ceterarum est mater et custos, adeo ut sine hac alia virtus nulla haberet queat. Hanc ergo nobis præsens lectio non minus in Domino salvatore quam in venerabili ejus commendat genitricem; quorum utsique cum ab omni legis præcepto liber exsisterit, utsique tamen causa commendandæ humilitatis, sponte se legalibus sub-

^d Fere totum ex superiori sermone desumptum.

^e Invenisti, Feu-ard.

^f Palmis, ex Amel., nam Feu-ard. habebat psalmis, sicut paulo infra chariss' ma, pro clarissima.

^g Feu-ardentius: quod per te ingerimus.

dere voluit institutis. Perpendat ergo unusquisque A quantum obedientiam praeceptis debeat divinis purus ac peccator homo, si tantum se pro hominibus humiliare voluit totius peccati immunis Deus homo. Ut autem quantum Deus una cum genitrice sua a praesepio legis immunes exstiterint, noverimus, ipsum legis mandatum diligentius perscrutemur.

Mulier, inquit Deus in lege (*Levit. xii, 2-4*), quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Octava autem die circumcidetur infans, et ipsa triginta tribus diebus manebit in sanguinis sui purificatione. Cum ergo mulierem, quæ suscepto semine peperisset, immundam decernat, et per temporum spatia expiari jubeat, illam utique ab hac excludit necessitate, quæ non de virili semine, sed de Spiritu sancti concepit obumbratione. Sed Dominus legis sponte se voluit subdere legi, ut nos a maledicto legis absolveret: similiter et intemerata ejus genitrix, quæ se noverat nihil legi debere, humilitatis tamen gratia legale voluit exequi præceptum, adimplens illud viri sapientis: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Ecli. iii, 20*).

Postquam autem impleti sunt dies purgationis ejus, (vel domini scilicet, vel matris illius; unde enim eodem ordine mater cum filio expiari jubeantur), **tulerunt illam** (haud dubium, quin puerum Jesum), **parentes ejus in Ierusalem ad templum Domini, ut sisserent** (id est, statuerent, consecrarent) **eum Domino**. Pueri Hebreorum, qui ex omni regno Ierusalem deferebantur, siquidem ex tribu Levi fuissent, ibidem detinebantur in templo Domini perpetuo servituri. Si vero ex alia tribu fuissent, dato prelio redimebantur a parentibus ad propria referendi. Et puerorum quidem purificatio in hostiarum oblatione constabat; matrum vero in hoc quod quadraginta diebus tam ab ingressu templi Domini, quam a viri toro prohibebantur; non quod ex legitimo et nuptiali connubio sit culpa filios procreare, sed quia ipse legitimus et nuptialis coitus a culpa iniquitatis non possit esse extraneus.

Bonum namque nuptiarum ab ipso humani generis initio divinitus concessum novimus. Unde Apostolus honorabile connubium et torum immaculatum sine dubitatione commendat (*Hebr. xiii, 4*). Cum igitur legitimæ nuptiæ liberaliter sint a Deo tributæ in fide et dilectione, si libidinis voluntate non agantur, necessario prolem edunt peccato primi hominis vitiam. De bonis itaque nuptiis adeo boicum est quod nascitur, ut etiam malum non sit, si sine adulterio vel fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ fecunditatis dona contulit, libidinis vero malum creatura Dei non est, sed pena peccati; proinde de munditia nuptiarum mundus homo non nascitur, quia interveniente sordida libidine iniqüitas semi-

a Amel. Cod. habet immunditia.

b Amel. Cod. : A unum, D quatuor ; item A unum, M quadraginta faciunt.

c Non inficiamus hec verba paulo duriora esse prima fronte; quibus significari videtur conceptionem corporis domini nostri Iesu Christi fuisse ad instar ceterorum hominum quadraginta dierum spatio perfectam, contra quod cum sanctis Patribus creditimus Catholicos omnes adversus heterodoxos, nempe Spiritus sancti virtute mirabiliter operante fuisse in instanti perfectam. Verum ne statim condemnemus auctorem, facit non multum dissimilis quidam sancti Augustini locus (quemadmodum in monito ad lectorem diximus) quem videtur hic noster auctor in suo sermone scribendo pre oculis habuisse. Est autem locus Augustini in libro de diversis Quæstiōnib[us] LXXXIII, quæst. 58, de annis quadraginta sex ædificati templi (*Joan. ii, 20*), in cuius euodatione postquam ordinem, quem natura dicitur a physicis observare in humani corporis formatione, totidem fere verbis, quibus auctor noster, recensuit, post varias numeri 46 multiplicationes, et combinationes factas, ex qui-

natur. Hinc et heatus David, qui se noverat de legitimo connubio generatum, hujus tamen rei conseius. maculam carnalis generationis non sine-gravi gemitu deplorabat dicens: *Ecce, in iniquitatibus conceitus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal. l, 7*). Hac paucis dicta sunt, ut noverimus, maculam originalis peccati non in legitimis nuptiis, sed in voluntate et delectatione constare libidinis.

Quod autem mulier quadraginta diebus, edito partu, ab ingressu templi prohibebatur, ideo juxta litteram factum videtur, ut quot diebus infans in utero formatur, tot etiam diebus ejus purgatio celebraretur. Dicunt enim physici, id est, qui de generis singularium rerum disputatione, quod susceptum semen a femina sex primis diebus lactis habeat similitudinem, sequentibus novem vertatur in sanguinem, reliquis autem duodecim solidetur; dehinc decem et novem aliis per singula membrorum linimenta formetur, inde usque ad tempus pariendi magnitudine sui augeatur.

Qui nuineri simul juacti quadraginta et sex faciunt. Sex vero et novem et duodecim et decem et novem, quadraginta et sex faciunt, quo numero, ut dictum est, infans in utero matris concipitur.

Unde et ipsum primi hominis vocabulum, quod est Adam, eundem numerum per Græca elementa exprimit. Secundum enim Græcorum calculationem, qui singulis litteris certum præfigurant numerum, b[ea]tum et unum, et quatuor, item et unum, et quadraginta faciunt, quæ litteræ nomen Adam exprimunt; numeri vero quadraginta sex reddunt. Hinc Judæi in Evangelio (*Joan. ii, 20*), licet ignorantes quid dicent, veraciter tamen de templo Dominicis corporis, quod ab eis erat in morte solvendum, et ab ipso post triduum resuscitandum, locuti sunt. Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc c[on] quo utique diuinum numero corpus dominicum in utero Virginis formatum credimus, more Scripturarum usitatissimo, annos pro diebus, a toto scilicet partem intelligentes. Quod autem purificatio non quadraginta sex diebus, sed quadraginta tantum expleri jubetur, mos est. Scripturæ usitatissimum, minores numeros quidem causam transcendere solere, infra maiores includere.

Quia omne masculinum adaperiens rulvam, sanctum. Dominu[m] vocabitur (*Exod. xii, 14*). Ex quo Dominus per Ægyptum transiens primogenita Ægyptiorum peremit, et filios Israel inde eduxit, omnia sibi primogenita filiorum Israel consecravit, tam de hominibus, quam de pecoribus; ea lege, ut pecora quidem, si munda essent, in sacrificio ejus offerentur; immunda vero, aut mutarentur, aut redimerentur, aut interficerentur, juxta quod in lege scriptum est. Primogenitum vero hominis, siquidem ex tribu Levi

bus tandem numerus dierum, quibus novem menses continentur, eliceretur, concludit: « Non ergo absurdæ quadraginta sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus ejus significabat, ut quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominicæ perfectione. »

Quem Augustini locum cum nullus non theologus congrua interpretatione exposuerit, non erit difficile ex illorum commentariis auctoris nostri verba similiter interpretari. Consulatur Petrus Lombardus libro iii Sent., distinct. 3, atque in hunc Magistri locum ejus commentatores, et quibus unius nunc nobis occurrit D. Bonaventura, qui ita loquitur: « Dicendum quod in Scriptura frequenter tunc res dicitur fieri, cum innoscet; et per hunc quidem modum verbum Augustini est intelligendum, quia et si corpus Dominicum ab instanti conceptionis fuit formatum, non tamen apparuit nec percipi potuit præ partite quantitatis molis; sed post quadraginta sex dies ad tantam quantitatem perfectionis deductum est, quo aspectibus hominum patere potuit, etc. »

suisset, ut dictum est, ibidem detinebatur; si autem ex alia tribu, prelio redemptum ad propria referebatur. Preium autem erat quinque sacerdotum post unum in hensem pondere sanctuarii.

Allegrice haec omnia primogenita unum illum ac singularem significabant primogenitum, qui cum esset in substantia Dei Patris unicus, factus est in substantia hominis primogenitus omnis creatura, id est, omnium hominum juxta quod Apostolus de eo dicit: *Qui est primogenitus mortuorum et princeps regum terrae* (Apoc. 1, 5); qui vere ac singulariter sanctos Dominus fuit, quia peccatum non fecit, nec inventus est dulcis in ore ejus. Tropologice nos quoque omnia primogenita nostra in sacrificio Domini offerimus, cum quidquid boni per ejus gratiam in mente concipimus, non nostris viribus, sed ejus gratia attribuimus. Immunda nostra pretio quinque sacerdotum redimimus, cum quaecunque prava per quinque corporis sensus commisimus, digna satisfactione punimus.

Et ut darent, inquit, hostiam. Hostia haec pauperum erat; nam in lege præcipiebatur (Levit. xi, 6-8), ut parentes pro pætro agnum offerrent immaculatum, et turturum sive pulum columba. Si vero manus illorum agnum iaveire non posset, offerrent duos turtures, vel duos pullos columbarum. Redemptor autem noster, memor per omnia nostre salutis, non solum homo pro nobis, verum etiam pauper homo fieri dignatus est; et pauperem pro se hostiam offerri, ac de pauperibus nasci parentibus voluit, ut nos sua paupertate spiritualium divitiarum et coelestis regal particeps efficeret, secundum quod ait Apostolus: *Cum esset dives, pro nobis pauper factus est, ut illius paupertate nos dicaremur* (II Cor. viii, 9). Non autem vacat a mysterio, quod haec volucres maxime in sacrificio Domini offerri jubebantur; nam per has, quisque mundandus esset, in lege expiari præcipiebatur. Columba enim simplicissimum est animal, et a seipsis amaritudine alienum. Turtur vero castitate præeminet, adeo ut si casu proprium perderit, deinceps aliud non requirat conjugem. Quod Dominus haec aves sibi in sacrificio præcipiebat offerri, significabat se sanctorum castissima simplicitate, quasi gratissimo delectari sacrificio. Notandum etiam quod utraque haec avis geminum pro canto edere solet, significans geminam sanctorum in hoc saeculo plorationem: quo tam pro reatibus suis deflent, quibus ad liquidum, quandiu hic sunt, carere non possunt, quam pro eo quod diutius a regno differuntur. Quod vero columba gregatim incedere solet, turtur autem solitagus est, per columbam, activa vita, que multorum est communis; per turbarem vero contemplativa, que paucis est inimitabilis, designatur.

Et ecce homo in Jerusalem, cui nomen Simeon. Veniens ta carne Dominus, non solum ab angelis, verum etiam ab omni hominum conditione testimonianum habuit, quia dignum erat, ut qui ad salutem omnium veniebat, ab omni ætate, sexu et conditione, ei testimonium perhiberetur. Jam ergo ei testimonium perhibuerat illa sublimis et angelica dignitas, quando in ejus nativitate exultando clamarent: *Gloria in excelsis Deo* (Luc. ii, 14). Peribuerat Virgo que generatur; peribuerat et conjugatus Zacharias, cum conjugali sua Elisabeth; peribuerat puer Joannes adhuc in utero matris positus. Restabat ut aliquis continens et senex ei testimonium redderet, qui utique talis inducitur, de cuius assertione nemo dubitaret: *Homo, inquit, justus et timoratus.* Bene autem eum dixisset *justus*, addidit et *timoratus*, quia justitia sine Dei timore custodiri nullatenus valet. Re autem vera *justus* erat, quia non suam tantum quam totius populi consolationem expectabat.

* Qui eum noverant, Amel.

† Responsum in mente, idem.

A Et responsum accepérat a Spiritu sancto. Magnum desiderium habuerunt antiqui sancti Christum vivendi in carne, * qua eum noverant oracula prophetarum ex Virgine nasciturum, ut ipse Dominus manifestavit, quando discipulis in Evangelio ait: *Dico vobis quod multi prophetae, et reges, et justi, voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (Luc. x, 24). Quod huic sancto semi Simeoni gratia meritorum concessum est. Accepit quippe^b responsum a Spiritu sancto quo plenus erat, non visurum se mortem temporalem, nisi prius videret in carne Christam, qui omne humanum genus redimeret. *Et venit in spiritu in tempum: non est putandum quod sine corpore, solo spiritu in templum venit, illum quem diu desideraverat visurus.*

Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, id est, in brachia sua. Mystice sanctus iste senex mundum designat, quasi longo senio, et gravi jam ætate decivem. Accepit

B ergo puerum senex Christum in ulnas, quia mundus in ultima sui ætate Dei Fidem incarnatum accepit, et ab eo vetustate peccatorum exutes, in novam Christianæ religionis infantiam est regeneratus. *Et benedictus Deus.* Sciebat beatus iste senex beatos fore qui Christum in carne viderent; et ideo tam prolixo tempore in corpore optabat manere, donec corporalibus etiam oculis eum cerneret, quasi securus jam de totius humani generis redemptrione: *Nunc, inquiens, dimittis, Domine, seruum tuum in pace.* Ac si diceret: *Dimittis in pace, quia video pacem.* Christus enim est pax nostra, qui factus est nobis secundum Apostolum a Deo Pater pax, et reconciliatio (Ephes. ii, 14). Quare autem se in pace optaret dimitti, manifestat: *Quia viderunt, inquiens, oculi mei salutare tuum.* Salutare Dei Christum Dominum dicit, per quem Deus Pater mundum reconciliavit, et genus humanum aeternam saluti reformavit, ut quinque vellent in eum credere, in fide et dilectione eum conspicerent. Constat autem Dominum in primo adventu nequaquam ab omnibus populis visum fuisse: sed quod dicit, ante faciem omnium populorum, more prophetico, ^c prophetice oculum ad futurum diem judicii intendit, quando Christus per humanitatem ab omni carne videbitur, ut videat eum omnis oculus, et reddat unicuique secundum opera sua.

C Lumen, inquit, ad revelationem gentium. Utrique populo, Iudaico scilicet, atque gentili, Christus lumen exstitit, quia utrumque a tenebris ignorantiae infidelitatis ad verum lumen divinitæ cognitionis perduxit. Specialiter autem a plebis Israelitica fuit, quia ex eodem populo incarnatus, inter eos conversatus, et miracula inter eos extensus inaudita est operatus. Notandum autem quod prius dixit, Christum venisse lumen ad revelationem gentium, deinde ad gloriam plebis Israel, quia prophetali iutuitu primum gentes ad fidem Christi convertendas, postmodum vero Iudeos in fine mundi in eum credituros previdit. Tale est et illud Psalmista, qui canit de vocatione gentium praemisisset: *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam* (Psal. xcvi, 2); mox de ultima Iudeorum conversione adjectit: *Recordatus misericordie sue, et veritatis sue domui Israel.* Huic quoque rei et Apostolus concordat: *Cum plenitudo, inquiens, gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet* (Rom. xi, 25). De qua rursum conversione Psalmista: *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut caes, et circuibunt civitatem;* id est, Iudei in finem mundi, quasi in vesperam, ad fidem Christi conversi, esurient panem illum, qui de celo descendit (Joan. vi, 59), et ut eumdem accipere mereantur, civitatem

* Prophetice oculum.... inveniuntur. Ita Feu-ard., male.

^c Gloria plebis, Amel. Cod. ed by Google

super montem Christum positam, hoc est, sanctam Ecclesiam, quasi canes circuibunt, ut quem nunc a velut acerrimi venatores impie insectantur, tunc pie devotio misericordia tuae aatur.

Hæc breviter de evangelica lectionis textu dicta sufficiunt; quæ licet satis abundanturque hujus solemnitatis causas manifestent, non ab re tamen est, si aliquid de ejus vocabulo compendiosius dicamus. Vocabatur itaque Graeco vocabulo *Yppante*, quod Latine obviatio dici potest; *Ypante* enim Graece obviare dicitur. Proinde hæc festivitas tali vocabulo notatur. quia cum Dominus hodierna die in templum a parentibus suis delatus, et a sanctis quos plurimos tunc temporis Jerosolymis fuisse non dubium est, ei obviari credimus. Agitur autem hæc festivitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani a Februario, id est, Plutonio, sic vocaverunt, quem potentissimum purgationis credebant. ^b Februare enim, purgare dicimus. Quo mense lustrabatur civitas. Cum enim Romani omnes gentes sibi subjugassent, tributum eis imposuerunt, eo tenore, ut quanto quoque anno idem tributum persolveretur. Quo expleto, et censu persoluto, ab omni populo, ut dictum est, civitas lustrabatur, et diis manibus sacrificia offerebant, quorum auxilio et virtute totum orbem se subjugassemus putabant. Quam lustrandi consuetudinem congrue et religiose Christiani mutavit religio, cum eodem mense, hoc est, hodierna die in honore sanctæ Dei genitricis et perpetuae Virginis Mariæ non solum clerus, sed et omnis plebs Ecclesiastarum loca cum cereis et diversis hymnis circumdecent; non jam in memoriam terreni imperii quinquennem, sed ob recordationem celestis regni perennem, quando juxta evangelicam parabolam omnes sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi sponso Christo obviantes, ab eo in thalamum aeternæ felicitatis sunt intromittiendi. Quo et nos ut admitti mereamur, sanctæ Dei genitricis auxilium sedulo imploremus, ut sua potenti intercessione apud clementiam filii sui nobis omnium impetreremus veniam criminum, quæ hodierna die purgationem subiit temporalem sine sordibus peccatorum. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ITEM SERMO XI.

IN NATIVITATE DEI GENITRICIS, SEMPERQUE VIRGINIS MARIE.

Audite, fratres, et intelligite: considerate qualiter omnipotens Deus per ineffabilem pietatem suam condidit mundum, et proprietatem sua maxima bonitatem ad imaginem suam plasmavit, et constituit eum colonum paradisi, ut vita perpetua perfueret, et

^a *Vetus cervum venatores*, lect. Am. Cod.

^b Plinius: « Vulgata priscis temporibus opinio obtinuit Februa esse omnia, quibus malefactorum conscientiae purgarentur, delerenturque peccata, aut manus defunctorum placidi redderentur. » Varro (*De Vita populi Romani*): « In eorum sacris liba cum sint facta, incerti solent farris semine, ac dicere se ea februare, id est, purgare. » Ovidius (*II Fast.*):

Febræ Romani dixerunt piamina patres;

Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Et paulo post:

Denique quocunque est, quo corpora nostra plantur,
Hoc apud latentes nomen habebat avos.

Beatus Augustinus (*Lib. vii de Civit., c. 7*): « Terminalia eodem mense Februario celebrari dicunt, cum sit sacrum purgatorium, quod vocant Februum; unde mensis nomen accepit. » Idem (*Lib. xviii contr. Faustum Manic., c. 5*): « Januarius a Jano appellatus est, Februarius a Febris sacris Lupercorum. » Albinus (*Lib. de Eccl. Offic.*). De festivitate ista dicit Beda sacerdos et doctor eximius (*In lib. de*

A angelorum consortio quotidie congauderet; qui per infirmitatem carnis quam acceperat, promissionem quam accepit, non custodivit, suadente adversario, qui per superbiam perdidit quod habebat, et per invidiam homini nocuit. Ubi enim infirmorem partem invenit, ibi prius suasit. Per ipsum lapsum quo ipse cecidit, in ipso genus humanum prostravit. Dixit enim ad mulierem: *Si comedederitis ex hoc fructu, eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen. iii, 5*). Hoc initium peccati superbia fuit, ut homo de terra factus in mente conciperet, ut fieret aequalis Deo. Scire enim voluit quod nequam habere potuit. Tunc enim dejecti sunt de paradiiso in hoc mundo in istam convalem lacrymarum, ubi cum labore et sudore vitam suam finierunt, et in ipsa æcumna posteri suos reliquerunt, quia scriptum est: *Mors dominata est in Adam, et ita dominabitur in omnes eius filios.*

Dum conditor mundi omnia per sapientiam suam ^B considerasset, et tam fragile mundum, et caducum in omnibus, et pronum semper ad deteriora cerneret, lapsus de bonis, ruere in malis, doluit per magnam pietatem suam, et quem ille pro benignitate ad imaginem suam considerat, et ipse sponte perierat, qualiter revocasset in pristinum locum, ubi eum constituerat, procuravit. In longinquò ergo disposuit per sapientiam suam, ut per semetipsum redimeret, quod per semetipsum plasmavit. Voluit per pietatem suam et omnipotentiam suam visitare mundum, ut ipse qui hominem fecerat, per visitationem suam redimeret. Präparavit sibi vas, ut per ipsum potuisse apparere hominibus. Scriptum est enī: *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Proverb. ix, 1*), vel templo, hoc est, Mariam virginem. Consideremus, in quantum possimus, quia nec lingua sufficit loqui, quod voluntas cupit proferre, quanta fuit benignitas Dei, ut de tam longinquò inquireret sibi ^c plura ubi habitaret. Quia Maria virgo non sic est nata sicut solent pueri vel pueræ nasci; sed de ^d Anna sterili, et patre jam sene, extra consuetudinem mulierum, post refrigerescēt calorem, et sanguinem jam tepidum in pectore refrigerescēt, et omnem amorum libidinis discessum, mundo corde et corpore ab omni pollutione carnali, orta est. Sic enim Dominus voluit, ut de tali vasculo mater sua nasceretur. Quod nunc scimus, quia per Spiritum sanctum illo ordinante, et benigniter præcipiente, præparavit sibi matrem quæ præcessit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea visa est, nec habebit sequentem.

Honorabilis dies, et sacra festivitas, in qua nata est Virgo Maria Dei genitrix. Hoc est gaudium nostrum, hæc est festivitas nostra, quia quando voluit fecit, ut nos per suam magnam misericordiam per

Temporibus): « Secundum mensem dicavit Numa Februio, id est, Plutoni, qui lustrationum potens credebatur; lustrarique eo mense civitatem necesse erat. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene n:utavit Christiana religio cum in mense eodem, die sanctæ Mariæ, plebs universa cum sacerdotibus ac ministris hymnos modulando, devota per ecclesiias, per que congrua urbis loca procedit, datosque a pontifice cereos in manibus gestant ardentes. » Eisdem verbis eadem tradunt Amalarius Fortunatus (*Lib. iii de Eccl. Offic., c. 43*), Rabanus Maurus (*Lib. ii de Institut. Cleric., c. 33*). Qui copiosiora desiderat, consulat Joannem Carnotensem (*Serm. de Purificat. S. Mariæ*), Rupertum (*Lib. iii de Divinis Offic., c. 25*), et Guillelmum Mimatensem episcopum (*Lib. vi Rat. Divin. Offic.*). FEUARD.

^e Lustrantibus habet Feu-ard., et paulo infra ubi est terreni imperii, edidit aeterni imperii; quorum utrumque emendavimus ex Amel

^f Creasset, Feu-ard.; melius vero Amelian., considerasset.

^g De anu steriti; ita Amelianus.

Virginem visitaret. Exsultemus et letetum omnes in celebrationem hodiernæ festivitatis beatae Dei genitricis et semper virginis Mariæ, quia præclara et sancta est, in qua inchoavit Redemptor omnium visitationem mirabilem, et nos de captivitate ad pris tunum locum revocare dignatus est. Adujet nos, quæsumus, ipse omnipotens Deus per gloriosam intercessionem suæ matris, in qua felix ejus est inchoata nativitas, ut per ejus intercessionem cum eo vivamus, qui propter nos dignatus est mortem suscipere, ut nos cum ipso vitam perpetuam mereamur habere; præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XII.

DE SANCTA MARIA.

[Ex Cod. Amel. ex quo primus eum edidit P. Florez.]

Creator omnium et auctor vitae, dilectissimi fratres, sicut fides vestra optime novit, Dominus Deus est, quia scriptum est : *Apud te, Domine, est fons vita, et in lumine tuo videbimus lumen* (Psal. xxxv, 40). Et Adam primus homo creatus est a Deo valde bene; sed per Evam suadente serpente deceptus est valde male. Auctor vero mortis diabolus est, sicut scriptum est : *Per invidiam diaboli mors introiit in orbem terrarum, et imitantur eum qui sunt ex parte eius* (Sap. ii, 24, 25).

Ipse enim diabolus recte a Deo conditus est, et in veritate noluit stare; sed mox ut creatus est, per superbiae suæ vitium, offenso Creatore, cœlesti sede caruit. Quas sedes Dominus reparare cupiens, protoplastum, scilicet Adam et Evam uxorem ejus ex terra in terram condidit, ex quorum genere ruinas vacuas coeli repararet. Sed auctor mortis hanc reparationem invidens, fontem rudem humani generis, tanquam rivulos nativitatis per arva spargeret, venenum suæ mortis immiscere festinavit. Sic ergo genus humanum, quasi unam arborem adhuc in radice teneram, tanquam in propaginis prole prodiret, vivit.

Inde est ergo quod radix vitiata quotidie indesinenter frondet, frondesque ejus indesinenter per mortem marcescunt; et sëpe contingit quod aurum fulgens reperiatur in luto, et ex pungenti spina pulchra rubens oriatur et rosa. Hoc enim operante Providentia divina, ex radice vitiata sine virtu prodit virga, quæ intelligitur beatissima virgo Maria, attente Isai propheta, qui dixit : *Exiit virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (Isai. xi, 1).

Hujus enim gloriosæ Virginis, id est, sancte Mariæ figuram tenuit virga illa quæ fuit in ministerio Aaron sacerdotis, jubente Domino a sancto Moysi in tabernaculo posita; que altero die sola fronduit, nucesque protulit (Num. xvii, 7, 8); quia procul dubio sola virgo Maria fuit, quæ Dominum peperit, et post partum virgo permanxit. Per hanc ergo auctor vite auctorem mortis patenter damnavit, dum per mulieris filium damnavit mulieris peccatum. Scriptum est enim : *Initium peccati a muliere cœptum est, et nos per illam morimur* (Eccli. xxv, 33). Et iterum : *Adam non est seductus, mulier vero seducta* (I Tim. ii, 14). Ita e contrario a muliere coepit reparatio vite, per cuius filium Dominum nostrum Jesum Christum omnes resurgimus, quia scriptum est : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes viviscabuntur* (I Cor. xv, 22).

Videamus ergo, fratres charissimi, qualiter sibi istæ duæ mulieres distent. Ad Eevam enim auctor mortis per tortuosum serpentem mortem suasit; e contra beatæ Mariæ auctor vite per Gabrielem archangelum salutis auxilium misit. Eva enim suasit diabolus ut comedederet cibum vetitum: Mariæ nuntia-

A vit angelus quod conciperet per obedientiam promissionis filium.

Eva comedens prohibitum pomum et sibi nocuit et viro; beata Maria concipiens nobis datum filium, sicut scriptum est, *Puer natus est nobis, filius datus est nobis* (Isai. ix, 6), et feminis profuit et viris. Illa enim in animo furto rapere visa est divinitatis essentiam, attestante sanctæ Trinitatis eloquio : *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis* (Genes. iii, 22); Maria autem humilem se confitetur Domini esse ancillam; ait enim ad angelum : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. i, 38). Sancta Maria per obedientiam humilitatis obumbratur a virtute altissimæ divinitatis; Eva per corruptionem concipiens, et in dolore pariens, sub viri potestate fuit. Maria per mysterium Spiritus sancti fide concipiens, gaudio pariens; inde reges et principes ovantes ejus cupiunt subjici potestati. Eva de paradiso mittitur ad exsilium, Maria de exilio hujus scæculi elevatur ad cœlum.

B Eva timens post partum absconditur inter ligna paradisi; Maria virgo gaudens post partum circumdatur cœtibus angelorum cœlestis militis dicentium cum gaudio : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis* (Luc. ii, 14). Eva posterius ex sua carne nascentes homines transmisit ad inferos; benedicta Maria ex sua prole natos dirigit ad cœlos. Ex carne Evæ dicuntur filii hominum; ex beate Mariæ filio renati non dicuntur filii hominum, sed filii Dei. Ut quid ulterius immoror protrahendo plurima? Eva obfuit, Maria profuit. Eva luxit, Maria illuxit. Sileat ergo nunc a feminis per beatam Mariam mortifer et male suasibilis sibilus, quia jam sumus omnes redempti per gloriose virginis Mariæ filium. Cadat et impropperium Evæ, quia universi sumus lati per partum sanctæ virginis Mariæ.

C Exsultet et letetur celebrando hunc diem solemniter Christianorum caterva, quia vita quam destruxerat Eva, reparatur per beatam Mariam. Sed et potius gaudete, beatae puellæ, virgines Christi, quæ per exemplum beatissimæ Mariæ, sanctissimæ virginis, carnales nuptias contemnentes, dolorem partus, protestatem viri, curam carnis, luctum pignoris, et sollicitudines mundi evidentes, ut sine impedimento vivere studeatis, et probetis, sicut nos monet beatus Apostolus dicens : *a Dominum exorando, terrena desideria respuendo, polum in dote merebimini, quia sociate beatae Marie thalamo Christo placebitis. Funera non plangetis, cum sine fine gaudia sumetis, quia immortaliter vivit amor vester Christus Dominus Jesus. Et quia semper vivit Christus, cum quo est amor vester, regnaturæ estis et vos pariter cum omnibus sanctis. Fusis ergo precibus, fratres charissimi, cuncti Dominum communiter deprecemur, ut qui sanctæ Mariæ virginis dignatus est propter nostram redemtionem nostramque salutem habitare nobiscum, et qui eam super astra cœli ac super virginum choros facit regnare in cœlestibus, ipse nos, ejus meritis suffragantibus, jubeat fieri in sanctorum congregatione participes, ut non inveniat in animabus nostris ille sœvus accusator quod perimat; sed ejus immensa pietas nos misericorditer pertrahat ad coronam, qui vivit et regnat cum Deo Patre per omnia sœcula sœculorum. Amen.*

D *(Hic desinunt Cod. Amelianus.)*

ITEM SERMO XIII.

IN DIEM SANCTÆ MARIE.

[Editus a P. Florez ex Codic. suo ms. sœcoli XIII.]

Exhortatur nos Dominus Deus noster pariter et admonet, dicens : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (Deut. vi, 5). Deus noster hic non protest extimari, non potest rautari, non potest numerari, dicente propheta David : *Magnus Dominus no-*

* Hic desiderantur verba Apostoli ad orationis contextum.

ster, et magna virtus ejus, et sapientia ejus non est numerus (*Psal. xiv, 6, 5*). Optime nostis ista, fratres charissimi, qui corde fortiter tenetis catholicam veritatem; audite tamen breviter quod, adjuvante Domino, proposui explanandum. Deus unus est Pater, Deus unus est Filius, Deus unus est Spiritus sanctus. Non tres dii, sed unus Deus. Tres in vocabulo, sed unus in Deitate substantiae. Sed dicet mihi hereticus: Ergo si unus sunt, omnes sunt incarnati. Non, sed ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud ratio; et enim in anima est ratio, sed una est anima. Sed aliud agit anima, aliud ratio. Anima vivit, ratio sapit. Ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet sapientia. Et licet unum sint, anima sola suscepit vitam, ratio sola suscepit sapientiam. Sic et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, licet unus sint, et unus Deus sint, ad solum Christum pertinet caro, sicut ad solam rationem pertinet sapientia.

In sole candor et splendor uno radio sunt; sed calor exsiccat, splendor illuminat. Aliud suscepit calor, aliud splendor. Et licet calor et splendor ab invicem non queant separari, suscepit calor fervorem, non illuminationem; suscepit splendor illuminationem, non fervorem. Aliud simul, aliud singulares agunt; tamen ab invicem non separantur. Sic et Filius suscepit carnem, et non deseruit Patrem, nec desuit a Patre. Suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate, sed tamen et Pater et Spiritus sanctus non desuerunt majestate. In divinitate æqualitas, in carne sola Filii proprietas, non tamen ab eo Patris et Spiritus sancti recessit aliquando divinitas. Cum ergo una sit deitas, una sit divinitas, impleverunt quidem carnem Christi et Pater, et Spiritus sanctus, sed majestate, non susceptione. Vis scire quod cum eo fuit Pater? Ipse Dominus dicit: *Non sum solus, quia Pater mecum est* (*Joan. viii, 16*). Audite et de Spiritu sancto, quia cum eo erat. Evangelista testatur quia Jesus egressus a Jordane plenus Spiritu sancto (*Lac. iv, 1*). Ecce sic solus Dominus noster Jesus Christus suscepit carnem, et tamen Pater, et Spiritus sanctus non desuerunt majestate. Si coelum et terram implet Pater, implet et Spiritus sanctus; carnem Christi deserere non potuerunt, quando in divinitatis unitate manserunt.

Ad hoc citharam respice, ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tres pariter esse videntur: ars, manus, et chorda. Et tamen unus sonus auditur. Ars dicit, manus tangit, resonat chorda. Tria quidem pariter operantur, sed sola chorda resonat quod auditur. Nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus sanctus suscipiunt carnem, et tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda executit, carnem solus Christus accepit. Operatio in tribus constat; sed quomodo pertinet ad solam chordam soni retinatio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanae susceptio.

E contra Judeus: *Contra naturam, inquit, parere virgo Maria non potuit. Et detestandus Manichæus: Si caro, inquit, erat, virgo esse non potuit; si virgo peperit, phantasma fuit. Utrisque respondendum est. De historia veteris Testamenti necessarium exemplum contra Judeum. Dominus sancto Moysi præcepit de singulis tribubus singulas virginas afferri* (*Num. xvii*). *Allatae sunt duodecim virginæ, inter quas una era, quæ Aaron fuerat sacerdotis. Positæ sunt a sancto Moysi in tabernaculo testimonii. Virga autem Aaron post alterum diem invenitur subito produxisse flores, et frondes, et perperisse nuces. Delectat hoc mysterium cum charitate vestra contra perfidiam Judaicam commisceri, ubi maxime figura intervenit sacramenti. Virga haec protulit quod ante non habuit, nec radicata plantatione, nec defossa sarculo, non animata succo, nec secundaria seminario; et tamen cum illic deessent universa jure naturæ, protulit virga quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces educere; et*

A Virgo sancta Maria non potuit contra naturam ex iussu Dei Filium generare? Dicat igitur mihi Judeus incredulus, quemadmodum arida virga floruit, et fronduit, et nuces protulit, et ego dicam illi quemadmodum Maria Dei Filium concepit, et peperit. Profecto Judeus nec conceptum poterit virgæ explicare, nec Virginis partum. Veniat ad Ecclesiam, exponitur illi, ut agnoscat. Verumtamen ordinem officii naturaliter Virgo peregit, exspectans tempora pariendi; virga autem non habuit tempora germinandi. Virgo enim decursis novem mensibus peperit; virga autem alia die, quod natura non habuit, germinavit. Sed Virginem dicis parere natura nullatenus patitur. Deus enim qui mirabile signum ostendit contra naturam, ut asina loqueretur (*Num. xxii, 28*), ipse mirabilius facere voluit, ut Christus de sancta Maria virgine nasceretur.

Audiat et versatus ille Manichæus aliud sacramentum. Solis radius specular penetrat, et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertrajicit; et talis videtur intrinsecus, qualis et extrinsecus. Itaque, fratres, nec cum ingreditur violatur, nec cum egreditur dissipat, quia in ingressu et egressu ejus specular integrum perseverat. Specular ergo non rumpit radius solis; integritatem Virginis ingressus aut regressus vitiare poterat Deitatis?

Sed quid ulterius immoror? Audiat Christianus quod non vult audire Judeus vel hereticus Manichæus, ut hic prosciat in fide redemptus, ille autem deficiat induratus. Virga illa unde aiebamus Aaronis virgo Maria fuit, quæ verum nobis Christum sacerdotem concepit, et peperit, de quo David cecinit dicens: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal. cix, 8*). Superiori namque versu jam dixerat: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, et dominabitur in medio inimicorum suorum*. Isaías quoque propheta repletus Spiritu sancto canit, et dicit: *Exiit virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; et requiescat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et repletus eum spiritu timoris Domini* (*Isai. xi, 1-3*). Quod ergo hæc virga nuces protulit, imago dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantię unionem: corium, testa, et nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima designatur. In corio nux carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel ainaritudinem passionis. In nucleo interiore declarat dulcedinem deitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium. In testa lignum interserens crucis, quod non discrevit in quod foris, vel intus fuit; sed quæ terrena et coelestia fuerant, mediator ligni interpolatione sociavit.

Sed quia non desunt qui dicant non posse fieri ut Christus de Maria virgine nasceretur, asserentes, cum sint immundi, quod pars illa corporis fuerit turpis. Quod si aliquid ibi fuisset immunditia, sua præsentia Dominus purificaret. Attende solem radios suos ubique mittere in sordibus, in cloacis, in locis etiam squalidissimis. Immunde hæretice: cloacas intrat sol, et non inquinatur; Deitas potuit inquinari a vulva Virginis? Anima tua impia, anima infidelis et tenebrosa, quæ ista sibi configit, attendens spiritibus erroris, ubi est? Nunquid tantum in capite? Nunquid tantum in oculis, et non etiam in intestinis tuis, ubi sunt stercora tua? Immunde hæretice: anima tua non inquinatur a stercore tuo, et Jesus inquinari potuit ab opere suo?

Sunt etiam qui dicunt quia sancta Maria habuerit filios ex Joseph post partum Domini, quod nefas est dici. His breviter respondemus. Genitalia ex quibus in mundum procedimus, portæ dicuntur; et non solum dicitur, sed etiam scribitur. Sanctus enī Job sic dicit de die nativitatis suæ: *Qui non conclusit, inquit, portas ventris matris meæ ne me pareret* (*Job. iii, 10*). Jam videte, fratres, quomodo porta,

per quam ingressus est Dominus, semper fuerit A clausa. Sic enim ait Ezechiel propheta : *Et converti me, inquit, ad viam portæ sanctuarii, que respiciebat ad orientem, et ecce erat clausa. Et dicit Dominus ad me : Porta hæc, quam vides, clausa erit, et non aperietur. Vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel egredietur per eam, et semper erit clausa* (Ezech. xliv, 1). Ecce ubi evidenter ostenditur nobis quia sancta Maria semper virgo fuerit. Virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Cantet ergo tibi, Domine, omnis terra canticum novum, quia fecisti in cœlo novum, ut virgo sine virili complexu virilem conciperet et pareret sexum. Concepit, et virgo est; generat, et virgo est; lactat, et virgo est. Maria sancta, haeretice, mater esse potuit, mulier esse non potuit. Intumenta ubera virginis, et intacta manent genitalia matris. Utrique corrupti non potuit quæ integratatem genuit. Magnum meritum, magnum donum, magna gratia. Ancilla peperit Dominum, creatura peperit creatorem, filia peperit patrem; filia divinitatis, mater humanitatis. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14).

· EUJESDEM SERMO XIV.

[Ex eod. Ms. P. Florez.]

Charissimi, Filius Dei sine tempore natus ex Patre, quid erat antequam veniret in homine? Facite itaque vos quiescere, et dixisse: Antequam Christus de Maria Virgine nasceretur, putas erat, aut non erat? His cogitationibus respondet ipse Dominus; quando enim ei dictum est a Iudeis: *quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* respondit, et dixit: *Amen dico vobis, ante Abraham ego sum* (Joan. viii, 57, 58). Ergo erat. Sed quid erat? Ne forte aliquis dicat: Angelus erat, aude te oraculum. Sanctum Evangelium respondet vobis. Nostis quod erat Christus, et quæreris quid erat? In principio erat Verbum (Joan. 1, 1). Ecce quid erat. In principio erat Verbum; non in principio factum est Verbum, sed erat Verbum. Dic quale Verbum? Vis audire quale Verbum? *Et Deus erat Verbum. O Verbum!* Tale Verbum quis explicet verbis? *Et Deus erat Verbum.* Sed forte Deus factus est a Deo? Absit. Unde scimus quod absit? Noli dicere factum. Audi quod sequitur Evangelium: *Omnia per ipsum facta sunt* (*Ibid.*, 5). Omnia quid est? Omne quidquid factum est a Deo, per ipsum factum est. Quomodo ergo ipse factus est? Nunquid ipse se fecit? Postremo si ipse se fecit, erat qui se ficeret. Si ergo qui se ficeret erat, nunquam deerat.

B Quomodo ergo in Virgine tale Verbum? Quomodo Verbum Dei in utero Virginis? Angelos non deseruit, Patrem non deseruit. Quomodo ergo in illo utero includi potuit? Absit. Esse potuit, includi non potuit. Quomodo, inquit, esse potuit tantus in loco tantillo? Ergo nec capit uterus quem non caput mundus. De verbo meo vobiscum ago. Ecce quod loquor, quod vobis dico, hoc comprehendite. Hoc certe miramur, quomodo Christus carnem accepit? De Virgine natus est, et a Patre non recessit. Ecce ego quod loquor vobis antequam ad vos proferam verbum, jam in corde babeo verbum. Non enim dicere vobis, nisi antea cogitarem. Quando cogitavi quod vobis dicere, jam in corde meo verbum erat. Et quærebam quomodo veniret ad te quod erat in me. Attendi cujus lingue essem. Inveni te Latinum. Latine tibi proferendum est verbum. Si autem Græcus essem, Græce tibi loqui debarem, et proferrem ad te verbum Græcum. Prorsus verbum quod est in corde meo antecedit linguas istas. Quero illi sonum, quasi vehiculum, unde perveniat ad te, quod non recedit a me. Ecce audi distis, et quod erat in corde meo jam est et in vestro. Et in meo est, et in vestro est. Et vos habere coepistis, et ego non perdidi. Sicut verbum meum assumpit sonum, per quem audiretur, sic Verbum Dei assumpsit carnem, per quam videretur. Et sicut verbum meum, quod ad vos accessit, a me non recessit, sic Verbum Dei cum in utero matris fuit, Patrem penitus et cœlestia non reliquit. Quia qui per humanitatem gigebatur in carne, per divinitatem cum Patre regnabat et regnat ubique. In utero Virginis ita teneri potuit, includi non potuit. Sicut sapientia hominis animo reuinitur, nec tamea qualibet vinculo religatur; sic quoque magnus Deus parvo Virginis habitavit in utero, sicut semper habitat in corde purissimo. Quantum potui dixi. Et tamen quid dixi? Quis dixit? Homo loqui vult de Deo. Tantus est, talis est, ut nec loqui eum possumus, nec de eo tacere debeamus. Accipiat in voce nostra affectum, non defectum. Gratias tibi, Domine, quia volui dicere. Quam longe est a tua magnitudine quod dixi, tu scis. Tamen de modicis misericordiis mensa tua pavi conservos meos. Pasce tu interior quos regenerasti, et nutristi. Domine Deus, nos voca, ut ascendamus ad te; firma, ne recedamus a te. Ut cum nos in hac vita cum pietate porrexeris, et ad te sine confusione perduxeris, laudemus nomen tuum in æcula seculorum. Amen.

Deo gratias.

APPENDIX SECUNDA.

OPERA SANCTO HILDEFONSO SUPPOSITA.

LIBELLUS DE CORONA VIRGINIS.

PRÆFATIO.

Dubia Hildesonsi opera sequuntur ea quæ ipsi falso ascripta comperimus. In quibus primus nobis censendus occurrit libellus inscriptus Corona beatæ Mariæ virginis, quem ipsi adjudicare laboravit ante omnes Petrus de Alva, e Franciscana familia theologus satis notus cum prepter multam doctrinam, tum vero maxime ob insignem in Dei genitricem devotionem, cuius cultui gloriæque sese totum multos annos mancipasse videtur. Hic ergo in tom. II Bibliothèce Marianæ, quam maximo conatu aggressus, morte præoccupatus affectam reliquit, hanc Coronam edidit sub hoc titulo: *Corona beatæ Mariæ virginis auctoris*